DEDUCTIO
JURIUM
JULIO-PALATINORUM
In
Sacri Romani Imperii
Dynastiam
Kesenich.

KOENIGL. BIBLIOTHEK ZU DÜSSELDORF

NEmini non constat, quæ & quanta exitia de præteritæ ætatis vicissitudinibus nobis perhibeant Historiæ, quàm adversa temporum imminuerit fatalitas, & misera rerum omnium extiterit conditio : nullibi tamen ullus unquàm eam legit aut vixit Sæculi confusionem & perversitatem, quo Sacri Romani Imperii Princeps Elector, Confœderatus optimus, & de causâ communi quàm maximè meritus, particularis, privati, injusti & inqualificati litigatoris gratiâ contra Jus & Justitiam, legalem Judicis notionem & rem judicatam à proprio fœderis Consorte, aperto Marte impetitus fuerit, & eidem castra, Domus, subditi, terræ, imò integra Dynastia vi &

armis avulsa fuerint; Ut novissimis temporibus in Sacri Romani Imperii Dynastia Kessenich non solùm in præjudicium nuperè defuncti Electoris Palatini & Ducis Juliacensis glorioſæ memoriæ, sed & opprobrium Universæ Reipublicæ Romanæ contigit & attentatum fuit;

Atrox sanè facinus, & tantò audacius, quòd terra hæc, ejúsque iniquus detentor & usurpator legibus, Imperioque Cæsaris teneatur, & per legitimos tramites, quos modò ingressus fuerat, si quam actionem habere putaret, procedere jubeatur, & de legibus constitutionibúsque Imperii quàm severissimè prohibeatur, extraneas potentias in auxilium convocare, iisque statum Imperii & quidem Sacri Romani Imperii Electorem sinè veniâ, sine assensu Imperatoris, imò ipso contra proprias interpellationes & imploratione denuo derelicto, prægravare.

Ast cum Deo dante Sacra Cæsarea & Catholica Majestas convicinas Provincias Hispano-Belgicas sibi de inconteſtabili jure Sanguinis devolutas haud ita pridem pleno cum superioritatis dominio adiêrit, justéq; ac laudabiliter pro incomparabili animi magnitudine declaraverit, & firmâ cum fiduciâ speratur, de temeritate facti inquisitum, & pro ratione Juris & Justitiæ Serenissimo Electori Palatino condignè satisfactum iri, illa

nunc

nunc pasſim conglomerantur opera & ſtudia, ut confingendo ex falſis vera, & ex veris falſa, ſuſtinendo in meris erroribus mira paradoxa, & quævis leviuſcula ſtupendâ hyperbole exaggerando, acerba facta leniantur, contraria involvantur, omnia in ſcopum contorquéantur, & ille injurias dedisſe credatur, qui accepit, & juri optimo maximo innititur; ſed ne fortè incautis nonnullis tale quid impoſitum eat, decuit & oportuit totius rei ſeriem publicè in lucem dare, fatiſque Caſtri & Dynaſtiæ Kesſenich ſitum, naturam, vaſallagium, cæteraſque jura, quæ Comites & Duces Juliacenſes à plus quàm quatuor retro ſæculis in eâ comparârunt, & continuò exercendo, nec non utendo, fruendo, aſſervârunt, levatâ omnis obfuſcationis larvâ ingenuè, candidè, & eâ quâ poteſt fieri, brevitate nervosè exponere.

Terram Kesſenich ab alterâ Moſæ ripâ in diſtrictu Comitatus Looſſenſis (qui pro nunc inconteſtabiliter de Territorio Leodienſi habetur) ſitam eſſe demonſtrat illa ipſa infallibilis rei evidentia, & cuilibet tractûs Moſæ ignaro ex tabulis Geographicis latiùs videre licet, nec non ex inferiùs deducendis inſtrumentis clarè patebit.

Hunc Comitatum quibus conditionibus Comites Juliacenſes quondam poſſederint, & quâ de causâ ille poſtmodum ad Principem & Epiſcopum Leodienſem devenerit, ultra hujus rei exigentiam refert celeberrimus ille Belgarum Annaliſta Chriſtophorus Butkens in ſuis trophæis Eccleſiaſticis & profanis de Ducatu Brabantiæ Libro 4. Fol. 421.

& seq. nec non Wernerus Teschemacher in Annalibus Cliviæ, Juliæ, & Montium in appendice de Dynastiâ Heinsbergicâ Fol. mihi 408. & seq. & exinde apparet, quòd iisdem Butkens & Teschenmacher testibus, ipsis Dominis de Loen conjugio juncti fuerint, hæredes extiterint, & se Dominos scripserint, eorúmque Successores à multis retrosæculis, & adhucdum moderno tempore ibidem jacentes pagos, Groëten Broegel & Erpicum, nec non Castrum & pagum Elslo, item Domum **zu der Warden** / & nonnulla alia loca cum omnibus suis ap-& dependentiis jure Feudi
N. I. possideant, attestante registro infeudationis sub N. Imo.

Ex quibus uti de origine & acquestu Dominii Juliacensis in memoratâ terrâ satis liquet, cùm in antiquis probatio exacta & plena de jure non requiratur, sed etiam conjecturæ & præsumptiones aliis concurrentibus adminiculis relevent.

L. census & monumenta, & L. pen. ff. de probat. cap. cùm causam eod. & cap. veniens de testib. Mascard. de probat. concl. 103. n. 12. & seq. ibiq;. cit. text. & D Dres. Mynsin. cent. 5. obs. 29. Menoch. de arbitr. Judic. quæst. 2. & 115.

Ita & ejusdem unà cum jurisdictionis præeminentia in Anno 1321. modò stabilita possessio legalissimè comproba-
N. 2. tur per adjunctam investituræ authenticam sub N. 2do. tenoris: quòd Miles de Montenaco sub fidelitatis Juramento à Domino suo Gerardo Comite Juliacensi Domum in Kessenich cum *Jurisdictione, fidelibus, Dominio & Situatione in Feudum susceperit*, & hanc Domum cum suis prædictis pertinentiis Feudum ipsius Domini Comitis & suorum hæredum esse recognoverit, ità videlicet, quòd fatus de Montenaco & sui hæredes, si quos procreaverit ex sua legitima uxore Domina Joanna Filia quondam Arnoldi de Kessenich ipsam Domum & suas suprascriptas pertinentias ab ipso Domino Comite possessuri sint jure in perpetuum Feudali; quòd si verò nullum procreaverit hæredem, tamen ipsa Domus de Kessenich & ejus præfatæ pertinentiæ Feudum Domini Comitis ac hæredum suorum Juliacensium permanere deberent. Actum Anno 1321. in ipsâ vigiliâ S. Martini.

Et

Et quamvis hocce Instrumentum omni genere perfectum de se solo ad Dominii probationem sufficiat, deque ejus validitate & relevantia dubitare nefas sit, nihilominus tamen per ejusmodi perfectionis instrumentum sub N. 3^tio. hic adjunctum ultra juris exigentiam stabilitur, dum vigore hujus, æquè ac ante, manifestè constet, quod haud ita pridem à priori relevationis tempore, Anno scilicet 1335. die verò jovis post Pascha, Augustus Dominus ab Elsloe, & Catharina ejus uxor eandem Domum & Dynastiam Kessenich cum Dominio, Alta & Bassa Jurisdictione, penes fati Gerardi Comitis Juliacensis Successorem Wilhelmum Comitem Juliacensem denuò, & quidem cum speciali expressione in feudum masculinum susceperit & relevaverit. N. 3. Corroboratur & insuper per similis legalitatis Instrumentum sub N. 4^to. juncto Reversali sub N. 5^to. quæ instrumenta, præter modò comprobata superioritatis & feudalitatis jura Comitibus Juliacensibus in Domo & Dynastia Kessenich competentia, denotant etiam plenum Dominium in Comites Juliacenses pro tempore devolutum fuisse, cùm Joannes Comes de Loen Juliæ & Heinsbergæ &c. Anno 1429. feriâ primâ post S. Bartholomæum hanc terram cum omnibus suis ap- & dependentiis Filiæ suæ naturali Elisabethæ, ejusque Marito Comiti Arnoldo de Horn hacce sub Conditione in dotem vel quasi appannagium dederit, quòd si sine liberis legitimis decederent, vel illorum legitima successio quandocunque vacare contingeret, dicta terra ad fatum Dominum concedentem quà verum suum Dominum hæreditarium ejusque successores revolvi deberet, junctâ expressâ & speciali inhibitione de non alienando, nec aggravando in perpetuum. N. 4. N. 5. Quæ titulata Dominii & jurium possessio, cùm insuper continuâ serie in hunc usque diem continuata esse evincatur per Registrum infeudationum sub N. 6^to. hinc ulterioribus meritò supersederi posset; quò magis tamen hæcce jura in confusionem cujuscunque antipatroni eluceścant, corroborentur & confirmentur, nonnulla hîc præterea de probatæ modò possessionis continuatione recensere placuit; ne verò etiam nimia prolixitas nauseam pariat, haud displicebit aliquem Deductionis Terminum ponere, & in enarratione continuatæ recognitionis, relevii, aliorúmque Jurisdictionis ac Superioritatis actuum, ab ante N. 6.

Priori Sæculo 1500. tempore ſcilicet, quo adverſariorum nemo de vel minimo jurisdictionis actu gloriari poteſt, exordium facere. Conſtet itaque

N. 7. I. Ex Supplica & conſtitutionis Mandato ſub N. 7^mo. de 1. Auguſti 1505. Arnoldum Collart de Keſſenich pro renovatione inveſtituræ Domûs & NB. Dynaſtiæ de Keſſenich humillimè ſupplicâſſe, & ob ſuî impedimentum Filium ſuum Joannem de Keſſenich ſub hac expreſſa conteſtatione conſtituiſſe, quatenus feudum hoc relevare deberet, prout illud à ſuo gratioſo Domino reſpectu Ducatûs Juliæ relevare obligatio exigit, ipſéque Anno 1486. in Dominicâ *Eſto mihi* relevâſſet.

N. 8. II. Ex Notariali Inſtrumento de 9^na. Julii 1527. ſub N. 8^vo. ſimiliter Mariam ab Impel viduam Antonii de Keſſenich conſtituiſſe Fratrem ſuum Arnoldum ab Impel, nomine Filii Jacobi de Keſſenich, ut eandem Domum & Dynaſtiam de Keſſenich penes Dominum Ducem Juliacenſem relevare deberet.

N. 9. III. Ex Supplica Arnoldi ab Impel ſub N. 9^no. annexis recommendatitiis Joannis Archi-Epiſcopi & Electoris Trevi-
N. 10. renſis ſub N. 10^mo. & Protocollo Curiæ feudalis Juliacenſis
N. 11. ſub N. 11^mo. ab Annis 1562. & 63. quòd, quando fatus Jacobus à Keſſenich citatus fuit, adeptâ majorennitate, feudi inveſtituram renovare, ipſeque conſtringi voluit ad ſubſcriptionem & extraditionem Literarum Reverſalium juxta formulam à fato ſuo Curatore Arnoldo ab Impel extraditarum cum inſertione ſcilicet qualitatis maſculinæ, ille deſuper humillimè conqueſtus fuerit, ab altefato Domino Archi-Epiſcopo & Electore interceſſionales petiêrit, & cum curia feudali eâ, quâ par eſt, obſervantiâ amicabiliter tractaverit; manifeſto ſané indicio, quòd ſi ſæpedicta Domus & Dynaſtia Keſſenich unquam alium Dominum Superiorem præter Ducem Juliacenſem cognoviſſet, illum nunquam in hac ſubmiſſione perſtitiſſe, minùs aliorum interceſſionales implorâſſe, ſed ad alium Dominum convolâſſe.

IV. Ex

IV. Ex Supplica sub N. 12mo. post fata dicti Jacobi de Kessenich ab ejusdem relictorum minorennium Cornelii & Wilhelmi de Kessenich Tutore Ottone Hinckarts eandem superioritatem recognitam fuisse. N. 12.

V. Itidem ex Instrumento publico & judiciali à Prætore & Scabinis Judicii in Kessenich anno 1590. 14tâ. Januarii erecto sub N. 13tio. quòd post fata Ottonis Hinckarts non modò ultimi investiti Jacobi de Kessenich gener Guido de Malsen, sed & totum judicium jura feudalitatis & superioritatis Ducibus Juliacensibus in Dynastiam Kessenich competentia publicè agnoverit, renunciârit, & ad peragendum relevium dictum de Malsen constituerit. N. 13.

VI. Ex Extractu Relationis de 28. Maji 1603. sub N. 14to. fatos possessores Cornelium & Wilhelmum de Kessenich, nec non illorum affinem Guidonem de Malsen de speciali mandato Serenissimi Ducis Joannis Wilhelmi per suæ Serenitatis Satrapam & Præfectum in Millen de renovanda investitura interpellatos fuisse, & N. 14.

VII. Ex speciali mandato Serenissimi Ducis 5. Sept. 1617. sub N. 15to. quòd cum haud ità procul ab hoc tempore, scilicet circa annum 1609. altefatus Serenissimus Dux Joannes Wilhelmus è vivis excesserat, successionémque ditionum suarum suo ex Filia Anna Juliacensi Nepoti Serenissimo Comiti Palatino Neoburgico Wolffgango Wilhelmo felicis memoriæ reliquerat, hicque rescierat mentionatos Fratres de Kessenich provectæ ætatis, cælibes & usu rationis destitutos esse, eorumque eveniente morte feudum Kessenich sibi apertum fore; N. 15.

Supramentionato Satrapæ in Millen & Born in mandatis dederit, quatenus de conditione feudi se se informare, in casum affulgentis aperturæ cum vidua de Malsen tractare, & pro convenientia status, nec non securitate liberæ Successionis Militem præsidiarium illuc mittere deberet.

VIII. Ex ejusdem Ulteriore Relatione sub N. 16to. quòd hocce mandatum debitè executus fuerit, nec non possessio- N. 16.

nem mediante assistentiâ NB. Militiæ Hispanicæ apprehenderit.

N. 17. 18. & 19. IX. Ex intercessionalibus sub N. 17. 18. & 19. illum ipsum Ducatûs Geldriæ Gubernatorem Dominum Henricum Comitem de Berg in Curia Juliacensi supplicem egisse, quatenus fatos Cornelium & Wilhelmum de Kessenich in Possessione relinqui, & emissum Militem præsidiarium avocari vellet; nec non

N. 20. & 21. X. Ex mandatis Serenissimi Domini Ducis 15. & 19. Martii anno 1618. sub N. 20mo. & 21mo. hunc præsidiarium Militem tandem avocatum fuisse; ast

N. 22. 23. & 24. XI. Non nisi erga reversale de se toties quoties sistendo, & non agnoscendo alium Dominum superiorem, quàm Ducem Juliacensem attestantibus adjunctis sub N. 22. 23. & 24to. multisque aliis ejusmodi manifestationis & sinceritatis instrumentis, quorum exhibitione utpote quid superflui supersedetur, quandoquidem supra allegata Documen- & Instrumenta jura Serenissimis Dominis Ducibus Juliacensibus in Castrum & Dynastiam Kessenich competentia, eorumque publicum exercitium adeò manifesta reddunt, ut vix quisquam tam præoccupatæ & obfuscatæ mentis reperiri possit, qui non de iis se se plenè convictum esse sentiat, & ingenuè fateri debeat, quòd si Curiam Brabantinam, vel quemcunque alium minimam jurisdictionis speciem in Kessenich acquisiviisse constitisset, vel etiam apparuisset, prætensè gravatos possessores illuc certò certius convolâsse, minus verò Dominum Comitem de Berg intercedendo interveniisse, sed illum potiùs authoritate Regiâ prætensum gravamen amoviisse, minimè verò consensisse, nec permisisse, quòd Miles suæ potestati commissus illum prægravando attentaret, quem omni querimoniâ levatum cupiebat, & sæpius petiêrat; præsertim dum sublato Militis præsidiarii gravamine fati possessores de Malsen Dominium directum Ducis Juliacensis iterum iterúmque agnoverant, eorúmque jurisdictioni & cognitioni se se ultroneè submiserant pro-

N. 25. & 26. priis exhibitis sub N. 25. & 26to. nec non Judiciali Mandato

N. 27. Constitutionis in ordine ad relevandum feudum sub N. 27mo. testibus. & quod si

XII. Sæpe

XII. Sæpe laudatus Comes de Berg de hiſce juribus non quàm optimè informatus fuiſſet, & ſciviſſet Dominum Ducem Juliacenſem eſſe verum feudi Dominum, tum neutiquam de horum jurium manutenentia ſollicitus mortem Fratris Wilhelmi ipſemet notificâſſet, ùt patet ex Epiſtolâ ſub N. 28vo. minus verò N. 28.

XIII. Permiſiſſet, quòd, cum eâ eveniente morte ſtemma maſculinum Keſſenich interiiſſe, ſimúlque feudum revolutum eſſe ſuſtineretur, & altefatus Sereniſſimus Dux Wolffgangus Wilhelmus denuo ablegaret ſuum Secretarium dictum Nentwich ad apprehendendam poſſeſſionem vigore Mandati ſub N. 29no. illa poſſeſſionis appre- N. 29.
henſio tam ſolemniter realiſata, & per aliquot annos continuata fuiſſet, prout refert Inſtrumentum Notariale ſub N. 30mo. N. 30.

Hic mortis eventus & ſuppoſita feudi qualitas maſculina cùm quemlibet alium de Familiâ ad ſeſe qualificandum haud immeritò excitâſſet, ſic contigit

XIV. Quòd quidam nuncupatus Wilhelmus de Keſſenich ſeſe Curiæ Julio-Feudali inſinuaret, & quà prætenſus ex Arnoldo de Keſſenich & Eliſabetha de Wifflet conjugibus nepos prætenderet, ſe quà maſculum viduam de Malſen ejúsque Filium quà inqualificatos ad ſucceſſionem feudi utpote maſculini excludere. Ubi dum cauſa

XV. De conſenſu Partium & absque ulla fori exceptione variè ventilata eſſet, de judicio impartiali juris peritorum 29. Auguſti 1624. poſſeſſorio tenus in favorem fatæ viduæ ejúsque Filii deciſa, & uterque actor & reus ad effectum agendi inveſtitus fuit, reſervato actori Wilhelmo de Keſſenich petitorio, atteſtante adjunctâ ſententiâ N. 31mo. nec N. 31.
non litteris inveſtituræ ſub N. 32. & 33tio. ſtipulante tamen N. 32.
reo de Malſen, ſe nunquam ullum alium Dominum re- & 33.
cogniturum, quàm Ducem Juliacenſem, ejúsque jurisdictioni, cognitioni & deciſioni ſemper & ubique ſeſe ſubmiſſurum eſſe atteſtante reverſali ſub N. 34to. aſt cum N. 34.

XVI. Infelix actor acquieſcere nollet, fuit cauſa remiſſa in ordine ad inſtruendum & diſcutiendum reſervatum petitorium ad judicium Aulicum, ordinariam Juſtitiæ inſtantiam Curiæ Juliacenſis, ubi poſtquam denuò inter partes conſtituendo, libellando, excipiendo, re-du-triquadruplicando & denique concludendo & ſubmittendo ab hoc tempore uſque ad annum 1639. longè latéque actitatum eſſet: tandem 11ma. Januarii ejuſdem anni de jure pronunciatum fuit, quæſt. Caſtrum & Dynaſtiam Keſſenich cum omnibus ſuis ap- & dependentiis eſſe verum feudum maſculinum, & hinc reum Jacobum de Malſen cum ſuis ad ſucceſſionem, inqualificatum actorem verò Georgium de Keſſenich quà qualificatum ſucceſſorem maſculum inveſtiendum & immittendum unà cum perceptis à tempore mortis Wilhelmi de Keſſenich Fratris Joannæ de Malſen Matris dicti rei Jacobi de Malſen, vigore ſen-
N. 35. tentiæ ſub N. 35to. fuítque fati Georgii Filius Joannes Walramus de Keſſenich ſolemniter inveſtitus vigore adjuncti
N. 36. ſub N. 36to.

N. 37. Nec non 26ta. Februarii 1641. teſte adjuncto ſub N. 37mo realiter immiſſus, inſupérque ab ipſomet Ferdinando Cardinale Infante ſupremo Provinciarum Belgicarum Gubernatore ſpeciali tutelâ ſive vulgò Sauvegarde adverſùs omnem vim & violentiam à quocunque, præſertim à Milite præſidiario in Steffenswerth ipſi inferendam, ſub ultima Octobris ejusdem
N. 38. anni munitus, atteſtante adjuncto ſub N. 38vo.

Aſt pro ut iniquitas & injuſtitia ſuos ſubinde ſolet invenire fautores, & ut; vix quidquam adeò tutum conſtitui poteſt, ut adverſus omnis temeritatis audaciam defenſum remaneat, ità alterâ ab apprehenſa poſſeſſione & immiſſione die contigit, capitaneum quendam de Waes Joannæ de Malſen Filiæ connubio junctum cum octoginta peditibus ex vicino fortalitio Steffenswerth erupiſſe, & Caſtrum Keſſenich, ejùsque ex Ruſticis concretum debile præſidium vi & armis ad deditionem coëgiſſe; cùm verò ad exemplum Theodoſii Imperatoris in L. Unic. C. ſi quis Imperatori maledixerit &c. de Principum gloria ſubinde eſſe

esse soleat, etiam sceleratorum insolentiæ indulgere; ita quoque Sereniſſimus Dux Wolffgangus Wilhelmus glorioſius & cauſæ ſuæ juſtitiæ conſultius duxit, penes illum ſcilicet Cardinalem Infantem de violenta turbatione ſatisfactionem & reparationem quærere, cujus ſupremæ poteſtati violentus infractor ſubjectus erat, quod & mutui foederis & proſapiæ conjunctio poſtulabat, & officii causâ par erat obligatio, pro ut pluribus videre licet ex litteris ad eundem 28. Februarii ejusdem anni 1641. exaratis ſub N. 39. N. 39.

Suggeſſerat autem parti condemnatæ deſperata cauſa deſperata remedia, ſcilicet cum aliquando contigiſſet, quòd citra notitiam Curiæ feudalis Juliacenſis certum intra Dynaſtiam Keſſenich ſitum prædium dictum Brunshorn in Curia feudali Brabantina, quà feudum relevatum fuiſſet, hocce ſub prætextu illuc recurrere, ſeſe eidem cum tota Dynaſtia Keſſenich, omnibúsque ap- & dependentiis ſubjicere, illámque contra meliorem con- & ſcientiam, factum proprium, fidem juratò datam, & poſſeſſionem à tot ſæculis illibatè conſervatam in Dominum directum planè nulliter recognoſcere.

Cujusmodi attentatum, quamvis hactenus inauditum, & inter utramque Curiam, Brabantinam ſcilicet, & Juliacenſem ſæpius laudabiliter æquè ac firmiter conventum eſſet, etiam de jure naturali, gentium, & civili ſtatutum ſit, ut neuter alterius ſubditos, & vaſallos contra, & in præjudicium proprii Domini ſuſcipiat, foveat, aut tueatur; nihilominus tamen vana quædam ſuffragandi, aut potiùs conviciandi ambitio Procuratorem fiſcalem Brabantiæ adeò obcæcârat, ut obfuſcato omnis veritatis candore iniquas partes aſſumere, protegere, & iis patrocinari haud erubeſceret! & quæ ob notorietatem facti & juris abnegare verecundabatur, fictionibus & ſuppoſitionibus confundere conaretur.

Quibus conatibus equidem ex parte Sereniſſimi Ducis Wolffgangi Wilhelmi pro ratione juris & facti ſatis ſupérque obviatum fuit, pro ut pluribus videre licet ex adjuncta informatione juris cum facti Deductione ſummaria ſub N. 40mo. N. 40.

Sed dum à Procuratore fiscali prætexabatur actio de dilatandis finibus, de conservandis, aut potiùs faciendis novis acquestibus causa indigetabatur Regia, & sub hoc Illustri titulo tam splendidè inaugurabatur, ut in Curia Brabantina præstaret potiùs confusione plus quàm Babylonicâ obmutescere, quàm pronunciando, vel resolvendo inqualificati fautoris turpitudinem allegare, & justitiæ Juliacensi deferre: imò verò deputationem Juliacensem cum maximis sumptibus Bruxellas ablegatam inauditam dimittere, quàm desuper oblatam conferentiam, & inter utramque Curiam per Imperatorem Carolum V. gloriosissimæ memoriæ anno 1544. per specialem conventionem, & tractatus sub N. 41mo. hîc annexos
N. 41. laudabiliter stabilitam communicationem suscipere, aut aggredi. In hocce autem violento justitiæ discrimine non solùm quotidie augescebat bellum germanicum, ejúsque ferocia grassabatur undique per ditiones Juliacenses, sed & universæ rei Juliacensi nova imminebant successionis pericula, quibus avertendis dum Serenissimus Dux Wolffgangus Wilhelmus vix par esset, minùs valebat causæ hujus particularis justitiam tueri, cùm ab ex adverso vi & armis, nec non carcerum ergastulis in propugnantes animadverteretur; præstitit igitur ad tempus inermis cedere, quàm inter arma præmaturè succumbere.

Præsertim verò cùm de jure notorio nemo taliter spoliatus, & ejectus jure suo cadat, sed semper & omni tempore id retineat, etiamsi possessio illa naturalis, quâ indebitè ejectus est, ad centesimam manum pervenerit.

Tot. tit. ff. de vi & vi armatâ.

Ast XVII. absit quàm longissimè asserere per hanc facti violentiam Serenissimos Duces Juliacenses immemoriali possessionis & comparatæ superioritatis suæ jure destitutos fuisse, dum ex extractibus actorum sub N. 76. 77. & 78. infra exhibendis evidenter patet, ante, in, & post hanc facti violentiam, Jurisdictionem Ducibus Juliacensibus hac in terrâ competentem illæsè continuatam, agnitam, & absque ulla contradictione exercitam fuisse.

Et

Et posito sed minimè concesso casu, quòd vis & violentia contra omnia juris principia aliquem effectum juris generare posset; ex eo tamen pro adversariis nulla appareret spes fructûs, cùm priusquam miserum hocce justitium aliquod possessionis spatium nectere potuisset, detentores sæpe dictæ Dynastiæ Jacobus de Malsen vel potiùs ejus Successor dictus de Vogelsang in Anno 1659. 1678. intermedio & subsequentibus temporibus tam pro ratione interesse Serenissimorum Ducum Juliacensium Philippi & Joannis Wilhelmi glorioſæ recordationis, quàm partis hæredum scilicet quondam Actoris Georgii de Kessenich sæpius per specialia mandata interpellati fuerunt, attestante præter multa alia adjuncto Decreto sub N. 42mo. præprimis verò. N. 42.

XVIII. Annexâ Supplicâ Receptoris generalis Brabantiæ de Rougemont sub N. 43to. exhibitâ Illustrissimo Principi de Villa Hermosa quà pro tempore Gubernatori Provinciarum Hispano-Belgicarum, ejus desuper ad Serenissimum Ducem Philippum Wilhelmum destinatis litteris sub N. 44to. & emanato responso sub N. 45to. de dato 18vâ. Martii 1678. clarè indigitantibus, quòd ex parte Juliæ omnibus Hispanicis attentatis usurpationibus inattentis continuatum fuerit in Dynastia Kessenich conscribere contributiones, annonam & similia soli Principi territoriali competentia, econtra verò fato Receptori Hispanico de Rougemont præsumptam collectarum conscriptionem inhibitam fuisse, Serenissimùmque Juliæ Ducem prætensis querelis neutiquam annuisse, nisi & ex adverso ab usurpata collectatione abstineri vellet; Imò verò N. 43. N. 44. 45.

XIX. Ex ulteriùs annexis litteris sub N. 46to. miro sanè prodigio liquet, & quemlibet Antagonistam confundere debet, quòd illa ipsa pars usurpatrix, inattentis omnibus Hispanicis auxiliis, neutiquam oblivisci aut diffiteri potuerit, Ducem Juliacensem esse suum verum & naturalem Dominum, ejus Clementiam, Investituram, & protectionem omnibus modis denuo quæsiisse; & cùm N. 46.

XX. Mentionatus Receptor Generalis de Rougemont, subditos in Kessenich pro subsidiis militaribus colligere &

exequi præsumpsisset, illos itidem ad Serenissimum Ducem Juliacensem confugisse, ejus Protectionem implorâsse, & eum in finem specialiter constituisse, pro ut patet ex adjuncto
N. 47. mandato constitutionis sub N. 47mo. Præter hæc autem

XXI. Notum & in Curia Brabantina æquè ac Juliacensi plusquàm manifestum est, imò centenis aliquot snpplicis & documentis probari potest, haud procul ab hisce temporibus novum actorem insurrexisse, scilicet quendam Theodorum Joannem Albertum de Ridderen à Reinstein, illumque non solùm quàm plurimas Instantias pro concedenda investitura in Curia Dusseldorpiensi fecisse, sed & Bruxellis in Curia Brabantiæ jura Juliacensia publicè propugnâsse. Qui cùm

XXII. Et jure proprio & jure cesso ab hæredibus Catharinæ de Momm, filiæ quondam Catharinæ de Horn sese in eadem Curia Julio-Feudali debitè ad Successionem qualificâsset Anno 1696. à sua Serenitate Electorali Joanne Wilhelmo glorioſæ memoriæ solenniter fuit investitus, attestan-
N. 48. tibus litteris investituræ sub N. 48vo. Et quo minus dictus de Ridderen suo jure quæsito per ulteriorem turbationem Hispanicam destitueretur, sua Serenitas Electoralis de facta concessione & investitura nuperè defunctam Regiam Majestatem Catholicam, nec non Belgii Gubernatorem Serenissimum Dominum Electorem Bavariæ certiores fecit, & ad præveniendum à feudi Possessore nuncupato de Vogelsanck præmeditatæ novæ subornationi, quamprimum ille Anno 1699. è vivis excesserat, suum Consiliarium Intimum de Hetterman ad denuo apprehendendam Possessionem & ad ejusdem Continuationem suum Consiliarium & Referendarium Ltum. Everhards commisit, qui

XXIII. Eandem etiam eodem anno 24tâ. Februarii cum omnibus solemnitatibus apprehenderunt, referente adjun-
N. 49. cto sub N. 49no. fuitque hæc Possessio etiam placidè & quietè per annum & ultra continuata, exercendo omnem Jurisdictionem, conferendo interea vacantia Beneficia Ecclesiasti-
N. 50. ca, ut patet ex adjuncto sub N. 50mo. percipiendo fructus, & redi-

reditus competentes, creando Consules & Scabinos, nec non reuniendo Dynastiam quondam per divisionem inter Possessores de Vogelsanck & Malsen initam in duas partes de facto & nulliter divisam; donec tandem,

XXIV. Alterius partis detentor Franciscus Jacobus de Waes per transactionem jus Successionis Georgio de Kessenich ex Sententia in Judicio Aulico anno 1639. Dusseldorpii lata competens acquisiverat, & sic ex novo titulo Qualificatus sese humiliter submittendo, nec non agnoscendo Dominium directum Juliacense ab altefata sua Serenitate Electorali dictam Dynastiam Kessenich tanquam feudum verum masculinum ex nova gratia relevaverat, & quòd sese imposterum fidelem & obedientem Vasallum exhibiturus esset, & Scriptotenus & Juramentaliter asseverâsset. Prout pluribus videre licet ex adjunctis litteris Reversalibus & Investituræ de 27mâ Maji 1700. sub N. 51mo. nec non mandato Constitutionis sub N. 52do. N. 51, N. 52,

XXV. Quod fidelitatis, obedientiæ & devotionis homagium ab illa ipsa moderna contradictrice vidua de Waes, ejusque Fratre Procomite Bruxellensi de Varick tutorio nomine, postquam ipsius Maritus fatus de Waes in ultimo bello Hispanico occubuisset, eâdem solemnitate & Juramenti Religione homologatum fuit 27ma. Januarii 1707. vigore adjuncti sub N. 53tio. & annexæ supplicæ eum in finem 25tâ. Januarii anno 1707. in Curia Dusseldorpiensi exhibitæ, ibíque juncti mandati Constitutionis in Personam Domini Baronis de Baexen sub N. 54to. N. 53. N. 54.

Quandoquidem verò Investituræ jure cujuscunque salvo plerumque concedi soleant, & nemini exinde, qui potiora jura qualificationis & Successionis justificare intendit, via agendi præcludatur, igitur supramentionatus de Ridderen, aut potiùs illius hæredes jam ab ante intentatam actionem prosequebantur, & hocce præcipuum ejus figebant fundamentum, quòd vigore schematis sub N. 55to. ab Arnoldo de Wilde, & Elisabetha Filia naturali Joannis de Loen Comitis Juliacensis conjugibus, & quibus ab eodem quæst. castrum N. 55.

& Dynastia Kessenich cum Jurisdictione, omnibusque ap- & dependentiis sub perpetuo fidei Commissi & Reversionis onere, nec non expressa Inhibitione de non alienando, nec aggravando anno 1429. concessa fuerit, eorumque ex Filio Antonio de Wilde nepte Catharinâ de Wilde nuptâ Walramo de Momm Lineâ rectâ descenderent, & idcirco extinctâ Familiâ mentionati Antonii de Wilde, quâ proximiores in Succesionis Linea quemcunque alium excluderent, maximè verò prætensè investitos de Waes, quòd neutiquam essent de Familia de Wilde, neque de Familia Guidonis de Malsen connubio juncti Joannæ de Wilde, cùm illorum Filia Anna Anastasia nupta Walramo de Waes, æquè ac Filius Jacobus de Malsen uxoratus cùm Elisabetha de Goltstein, quæ ex post cum Jacobo de Waes ad secunda vota transiit, & ex quo Matrimonio prætensè investiti provenirent, improlis è vivis excessisset, & ità jure proprio nullatenus essent qualificati: Quoad prætensum jus cesionis autem à Georgio de Kessenich comparatum obstaret, quòd hæc Familia prætensam derivationem ab Arnoldo de Wilde & Elisabetha Juliacensi hactenus nusquam legitimè justificâsset, & illo insperato casu æquè ac ante ex regula juris communis feudalis, quòd Linea Succesionis quamcunque aliam à Succesione amoveat, excluси permanerent, eò quòd ex tenore primævæ Investituræ de Anno 1321. secundum quam natura feudi regularetur, ejusque subsequentium Investiturarum, & ex allegata concesione Joannis Comitis de Loen, de anno 1429. multisque aliis Protestationibus ad acta Cancellariæ Registratis superiùs allegatis manifestè constaret, quæst. Castrum & Dynastiam Kessenich nunquam fuisse feudum masculinum; & quod si aliquando sub hac qualitate quædam litteræ Investituræ conscriptæ, aut etiam reversales extortæ, vel Sententia emanata fuisset, hæc propterea nullum præjudicium generare posset, quòd ejusmodi actibus semper contradictum & sententia de anno 1639. nunquam suum plenum effectum rei judicatæ sortita fuerit; ad minimum essent omnia hæc suffragia altioris indaginis inter alios acta, quæ tertio præjudicare non possent, & idcirco ad petitorium amovenda. Potisimùm verò dum sæpe dictus cedens Georgius de Kessenich in ultimo bello Hi-

ispa

ſpanico occubuiſſet, & cum illo Familia hæc interiiſſet, hicque interitus nova Succeſſionis jura ſuppeditaret, præſertim ceſſionario nomine intervenienti Baroni de Metternich, dum Dominus directus Sereniſſimus Elector Palatinus & Dux Juliacenſis Joannes Wilhelmus ceſſionem ab antedictis Actoribus in ipſius favorem factam clementiſſimè ratihabuerat & confirmaverat: quod reſoluto jure primi Cedentis quin validè fieri potuerit, nemo eſt qui dubitat.

Hæc & multa alia in actis prolixiùs deducta fatam de Waes, ejusdemque Tutorem procomitem Bruxellenſem de Varick & Curatorem ad litem Licentiatum Schulteis, dum ab Exadverſo allegatam deſcendentiam & Qualificationem diffiteri haud poſſent, tantâ afflixerunt egeſtate, ut recedentes ab Inveſtituræ titulo, nempe ceſſione à Georgio de Keſſenich comparatâ, nova excogitârint remedia, inſimulando ſcilicet Arnoldum de Wilde & Eliſabetham de Wifflet, præter Filios Joannem & Antonium de Wilde procreâſſe adhuc Filiam dictam Eliſabetham, & exinde deducere conarentur ſuam proſapiam. Aſt cùm hanc inſimulationem irrelevantem ſentirent ob aliorum Adverſariorum de Ridderen potius & proximius jus Succesſionis; aliam inſuper inventârunt generationem, fingendo ſcilicet Jacobum de Wilde & Joannam Hinckarts præter Filios Wilhelmum & Cornelium, nec non Filiam Joannam nuptam Guidoni de Malſen adhuc aliam & quidem natu majorem illâ genuiſſe, etiam nuncupatam Eliſabetham, quæ Walramo de Waes Matrimonio juncta fuiſſet, & peperiſſet Wilhelmum de Waes, ſui defuncti Mariti Avum, ità ut quà rectè deſcendentes in Linea ſucceſſionis alios collaterales ejusdem Lineæ, ſcilicet illos de Momm, eorúmque deſcendentes & modernos Actores de Ridderen, utpote hactenus excluſos, proximioritatis jure antecellerent & à ſucceſſione amoverent.

Pro juſtificatione harum ſubornatarum Eliſabetharum nonnulla quidem produxerunt documenta; ſed cùm pleraque eorum eſſent vel privatæ ſcripturæ, quæ contra tertium non probant, vel manca, aut aliàs illegalia & inſufficientia ad conſtituendam veram & juridicam probationem,

mò prætexatam Elisabetham in vivis extitisse, & fuisse legitimam Filiam supramentionatorum conjugum Jacobi de Wilde & Joannæ Hinckarts, & ex actis Cancellariæ quondam inter Guidonem de Malsen, ejúsque Filium Jacobum, & Georgium de Kessenich ab anno 1624. usque ad annum 1639. ventilatis contrarium, fatos conjuges Jacobum de Wilde & Joannam Hinckarts scilicet, solummodo duos Filios nempe Wilhelmum & Cornelium, & unicam Filiam condictam Joannam nuptui traditam Guidoni de Malsen
N. 56. procreâsse, attestante extractu supplicæ sub N. 56to. à Fratribus Cornelio & Wilhelmo de Wilde, nec non Guidone de Malsen 5. Decembris Anno 1569. in Curia Düsseldorpiensi
N. 57. exhibitæ, & extractu articulati libelli sub N. 57mo. à Joanne Walramo de Kessenich contra Jacobum de Malsen in Judicio Aulico Düsseldorpiensi producti, junctis responsionibus ab hoc desuper sub Juramento respondendorum datis
N. 58. sub N. 58vo. nec non adjuncto & annexo ad id specialiter dato Mandato superiùs sub N. 25to. modò exhibito.

Hinc, prævia inspectione Originalium prætensorum Documentorum, Anno 1710. 23. Maji cum plena causæ cognitione, de jure optimo, claro & manifesto pronunciatum fuit, Actrices de Ridderen, & earum nomine Baronem de Metternich, in vim clementissimè confirmatæ cessionis cum feudo Kessenich, ejúsque appertinentiis investiendum, in illius Possessionem immittendum, & ad dies vitæ cedentium de Ridderen eorúmque descendentium manutenendum, Reæ de Waes autem petitorium, in illoque meliorem probationem prætensæ qualitatis masculinæ, nec non descendentiæ, nempe prætensam Elisabetham Jacobi Collart de Wilde legitimam Filiam extitisse, reservandum
N. 59. esse, prout latiùs videre licet ex adjuncto sub N. 59no.

Idque propterea in possessorio, quòd vigore adjuncti
N. 60. extractûs sub N. 60mo. Rea de Waes litem negativè possessoriotenus tantùm fuerat contestata, & illi de Ridderen Anno 1696. per pro tempore impetratam investituram anterius jus possessionis, ad minimum quoad effectum juris nacti fuerant, quod per documenta ex parte Waes exhibita

hibita utpote illegalia & in petitorio majorem discussionem requirentia non poterat remorari.

In vim hujus sententiæ fatus Baro de Metternich 6. Junii ejusdem anni cum dicto Castro & Dynastia Kessenich solemniter fuit investitus, in eóque 14tâ. insequentis Mensis Julii debitâ viâ juris immissus, vigore adjunctorum sub N. 61. & 62do. N. 61. & 62.

Sed haud diu perstitit, cum Rea de Waes mox revisionem in Curia Dusseldorpiensi peteret, mox verò ad excelsum Consilium Imperiale Aulicum appellaret, & quamvis ibidem plenarios Processus incompetenter impetrâsset, eò quod sententia desuper lata tantum sit possessorialis, ac per consequens tam de jure communi, quàm de speciali Privilegio Patriæ ab Imperatore Maximiliano, ejúsque successore Carolo V. anno 1566. concesso, nulli appellationi obnoxia; iis tamen inattentis, contra toties repetita fidelitatis Juramenta specialia & generalia, ad extraneos, scilicet Curiam Ruremondensem, aut potiùs Status Hollandiæ quà pro tempore possessores Ducatûs Geldriæ divertisset, illósque & lacrymis & multifariis sinistris remonstrationibus iniquæ causæ suæ protectores adeò præcipites concitâsset, ut inauditâ parte, nullâ habitâ impartiali causæ informatione, & in-salutato Domino & Principe Territoriali, contra omne jus gentium cum 60. peditibus 25tâ. Septembris ejusdem anni in fatum Castrum ruerent, Quæstorem à Barone de Metternich ibidem constitutum cum suis de facto depellerent, dictámque de Waes in pristinam usurpationem restituerent, imò verò cum summa læsione à parte sua interpellatæ authoritatis Cæsareæ, & præjudicio Sereniſſimi Electoris Palatini præsumerent causam ad novam cognitionem trahere, sententiámque 23tiâ. Maji super actis plenariè, & de consensu partium instructis cum matura causæ deliberatione latam, per prætensam declarationem hìc sub N. 63tio. adjunctam, omni jure & justitiâ destitutam, & in meris erroneis suppositis fundatam sub 22da. Julii 1711. reformare; N. 63.

Postquam autem sæpedicta de Waes, ejúsque Maritus, Liberorum tutor etiam Frater de Varick, quà & Curator ad litem L^tus. Schulteis, nec non omnes præcedentes hujus feudi possessores, superiùs à tribus retro sæculis enumerati, Jurisdictionem & Superioritatem Sereniſſimo Electori Palatino quà Duci Juliacensi in Castrum & Dynastiam Kessenich competentem & Verbis & Scriptis publicè agnoverant, Juramento toties repetito vallârant, ejúsque cognitioni sese ultroneè submiserant, nec non eandem unà cum medie, tate Imperii Romani per interpositam appellationem, insinuatosque Processus ipso facto stabiliêrant, confirmaverant & manifestam reddiderant,

Et juris est tam naturalis, quàm gentium & Civilis, quòd nemini permissum sit, foro semel electo, competenti, & Juramento partis vallato, cognitâ causâ & latâ Sententiâ, ejus notioni & executioni sese subtrahere, opponere, & in illusionem rei judicatæ extra fines Romani Imperii opem & patrocinium implorare;

Sic quilibet sanæ mentis & ingenuæ indolis, ut perversum hunc & violentum procedendi modum improbet & detestetur necessum est, imò indignabitur totus mundus, & omnis posteritas, si tantæ injustitiæ & perfidiæ iniquitati indulgeri vellet, illataque injuria non omni conatu & viribus propulsaretur:

Etenim verò longè alia & mitiora fuêre suæ Serenitatis Electoralis Consilia, dum pro incomparabili animi sui generositate rei privatæ potiùs jacturam facere, quàm publicæ rupturam susciture meditaretur, eâ spe freta, quemlibet confoederatorum & præsertim præpotentes Hollandiæ Status, de quibus tanta promerita fuerat, reciprocos hos sibi delaturos animi affectus, quòd saltem pro ratione Justitiæ annuere haud dedignarentur; fecit igitur Illos per Ministros suos Hagæ Comitis degentes de integrali rei serie funditus informari, & quò magis adversantium falsitas pateret, suggestos errores, fictiones, sophismata & falsa supposita per sub N. 64^to. adjunctam specialem Dedu-

N. 64.

ctio-

ctionem tantâ ſoliditate expoſuit, reſolvit & enodavit, ut nihil quidquam in contrarium obmoveri potuerit, aut ſaltem nemo hactenus præſumpſerit, illam ingenuo calamo contradicendo impugnare; imò verò quamplurimos, quos non inordinata partialitatis paſſio obcæcârat, aut proximior affinitatis junctio cum Familia de Waes præoccupaverat, meritò commovit, perpetrati attentati violentiæ indignari, debitam reparationem appromittere, & miſſum Militem præſidiarium avocare.

Hæc & multa alia præprimis verò manifeſta cauſæ Juſtitia, cum Sereniſſimum Electorem induxiſſent de reapprehendendâ poſſeſſione denuo penſitare, temporis opportunitas & rerum omnium pacatio faveret, interrupta poſſeſſionis jura absque commotione publicâ reſtaurandi & recuperandi.

Status Hollandiæ Provincias Hiſpano-Belgicas per Tractatus Pacis Trajecti ad Rhenum Anno 1713. 11mâ. Aprilis ſeparatim cum Rege Gâlliæ initos in favorem Auguſtæ Domûs Auſtriacæ evacuâſſent, aut ſaltem evacuare tenerentur, ità ut iis in locis vel minimum attentare illis nullo ſub titulo liceret aut fas eſſet; Sacræ Cæſareæ Majeſtatis autem prædeceſſores Auguſtiſſimi Imperatores Leopoldus & Joſephus glorioſiſſimæ memoriæ, nec non laudabilis Circulus inferioris Rheni Weſtphalicus attentatas violentas infractiones & invaſiones ſæpius improbâſſent; altefata ſua Serenitas Electoralis Anno 1714. menſe Septembri priſtinam poſſeſſionem emiſſis aliquot peditibus reapprehendere ſtatuit.

Sed haud ità pridem advenerant, ſupramentionati Status illos unà cum Caſtro Keſſenich & Burgo prope Nederitter integris cohortibus obſederunt, egerunt cuniculos, exſtruxerunt machinas, adduxerunt tormenta bellica, & omnem denique hoſtilis obſidionis apparatum fecerunt, aperto Marte cogendo præſidiarium Militem Sereniſſimi Electoris ad ſuî deditionem.

Hæc vis major & publica hostilitas prout est pessimi exempli & juxta notorias Imperii Constitutiones, omnes omnino Status Imperii, imprimis verò inclyti Circuli Westphalici ad repellendum & vindicandum obligat, ità qúoque Sereniſſimus Elector Palatinus illos debitè interpellavit, & quatenus sibi pro Juris & Justitiæ exigentia, nec non pro conservando & protegendo limite Imperii, & Circuli obligatione assistere vellent, imploravit;

A quibus ùt & à sæpefatà sua Serenitate Electorali Sacræ Cæsareæ Majestati, dum Provincias Hispano-Belgicas, earúmque regimen adiisset, causæ violentia humillimè supplicando expositа fuit, quatenus tantæ injustitiæ & violentæ hostilitatis reparationem præbere, & terram Kessenich Sacro Romano Imperio, ejúsque constatui Sereniſſimo Electori Palatino subditam restituere, tueri, & conservare clementiſſimè dignaretur:

Quibus dum Sacra sua Cæsarea & Catholica Majestas pro ratione Juris & Justitiæ delatura videtur, eúmque in finem à Regimine Brabantino documenta & scripta dictam terram Kessenich concernentia, attestante adjun-
N. 65. cto sub N. 65^to. jam tum sub 10^mâ. Martii Anni 1717. exegit,

Novi insurgunt Causidici, strepitant fautores, & suscitantur contentiones, siquidem excelsum Regimen Brabantinum Leoninis quorundam Procuratorum fiscalium conclamationibus obduratum, Processus adeo iniquos, tumultuosos, & non minùs scandalosos denuo sub Augusto titulo latitantis interesse Regii propugnare conatur, & quamvis Sereniſſimus Elector Palatinus modò gloriosè imperans desuper cum dicto excelso Regimine juxta ac secundum tractatus quondam inter glorioſiſſimum Imperatorem Carolum V. & Illustriſſimos Duces Juliacenses Anno 1543. initos, ùt supra sub N. 41^mo amicabiliter communicare resolviſſet, & eum in finem specialiter deputâſſet, neutiquam tamen auditus est, imò verò contra omnem

æqui-

æquitatem inſpectio actorum denegata fuit ; quantum autem de illorum prætenſis fundamentis ex obliquo percipi licuit, maxima ex parte in iis ſubſiſtere videntur, quæ quondam à Procuratoribus Fiſcalibus Brabantiæ & Geldriæ cum evidentisſima veritatis & Juſtitiæ profanatione prolata & ficta fuêre,& quibus innititur ſupra exhibita præpotentium Hollandiæ Statuum declaratio de 22da. Julii 1711, ſcilicet,

Imò. Quòd ſæpedicta Dynaſtia & Caſtrum Keſſenich, vel potiùs dictum Bronshorn, utpote nomina promiſcuè & mixtim uſurpata, non ſit ſita in Territorio Ditionis Heinsbergenſis, nec Comitatûs Loſſenſis, neque Ducatûs Brabantiæ, ſed in Territorio Superioris partis Ducatûs Geldriæ, ſcilicet in Triangulo de Boeſteren, Werth, & Steffenswerth, & idcirco præſumendum ſit,eandem etiam eſſe ejusdem Jurisdictionis & appertinentiæ,

2dò. Quòd ex Regiſtris feudalibus Curiæ Brabantinæ pateat, tempore Joannis Ducis Brabantiæ, & Duciſſæ Joannæ, qui regnarunt ab Anno circiter 1312. úſque ad annum circiter 1355. & multis ſequentibus, Ditionem Keſſenich pro tempore poſſeſſam à Dominis de Bronshorn per Dominum Reinhout de Schoenvorſt Filium Joannis Bronshorn in feudum Brabantinum oblatam, &

3tiò. Atteſtantibus Regiſtris & Protocollis ejusdem Curiæ ab Anno 1423. úsque ad Annum 1707. ſucceſſivâ ſerie ibidem relevatam fuiſſe, igitúrque,

4tò. Nullius eſſe momenti extractum ex parte Juliæ productum certi reverſalis Anno 1321. à quodam Joanne de Montenac conſcripti, cùm eſſet unicus, & nullam mentionem faceret alicujus ditionis, jurisdictionis, alteriúsque præeminentiæ ad Domum aut Caſtellum Keſſenich appertinentis ; potiſſimùm verò

5tò. Dum Joannes de Loen Dominus Juliæ & Heinsbergæ Anno 1429. Arnoldo de Horn, ejúsque conjugi

Filiæ ſuæ naturali Eliſabethæ & eorum legitimis hæredibus, eandem Domum Keſſenich cum omnibus juribus in eandem ſibi competentibus, plenariè ceſſiſſet, reſervato ſolo reverſionis caſu, ſi præfati conjuges eorúmque hæredes absque legitima prole è vivis decederent, ità ut

6tò. Si quæ feudalitatis jura Ducibus Juliacenſibus in eandem Domum competiiſſent, illa jam dudum ab illo tempore remiſſa fuerint; quandoquidem

7mò. Deſcendentes fati Arnoldi de Horn eandem Domum & ditionem Keſſenich per ducentos annos & ultra poſſederint, & illa ex poſt per Teſtamentum, à Joanna Anaſtaſia de Malſen Anno 1639. prætensè conditum, ad præſentem Familiam de Waes devenerit, & quamvis

8vò. Quidam Georgius de Keſſenich circa annos 1620. 24. & 25. illos in hacce longiſſima poſſeſſione perturbare præſumpſerit, ſuſtinendo dictam ditionem utpote feudum Julio-Maſculinum in ſe devolutum eſſe, Dúxque Juliacenſis ejusdem partes publicè propugnâſſet; nihilominus tamen Filios de Malſen & Waes à Ducibus Brabantiæ in illa manutentos, & à Sereniſſimis Ducibus Brabantiæ Alberto & Iſabella, Henrico Comiti van den Berg quà pro tempore Gubernatori Ducatûs Geldriæ mandatum fuiſſe, quatenus ſedulò invigilaret, ne quidquam in præjudicium prætactæ Joannæ Anaſtaſiæ de Malſen, ejúsve hæredum aut etiam jurium Vaſallagicorum Ducibus Brabantiæ in illa competentium committeretur, aut attentaretur; cui etiam

9nò. Tantâ firmitate inhæſum fuiſſet, ut dum Dux Juliacenſis Anno 1624. Caſtellum Keſſenich, deſumptis militibus ex præſidio Ruremondenſi armatâ manu occupâſſet, eidem Comiti van den Berg denuo injunctum fuerit, quòd illos vi expellere, & impoſterum tales præcautiones adhibere deberet, ne ejusmodi quid in futurum ampliùs moliretur, quódque fatus Comes van den Berg hæcce mandata executioni demandâſſet, 10mò. Quod

10mò. Quod iis inattentis sæpedictus Georgius de Kessenich in Curia feudali Juliacensi actiones suas quidem prosecutus fuerit, ibique Anno 1639. sententiam declaratoriam, ditionem Kessenich esse feudum masculinum Juliacense, obtinuerit; sed quòd Fiscus Brabantiæ Anno 1641. contra illam à Consilio Brabantiæ petiêrit, & impetraverit Mandatum cassatorium poenale, cui quamvis quidam Walramus de Kessenich sese opponere conatus fuerit, nihilominus tamen fuisset coactus causam indecisam deserere, quapropter Curia Brabantina Anno 1643. Walramo de Waes, ejúsque Conjugi Joannæ Anastasiæ rescripsisset & injunxisset, quatenus Curiam Brabantinam in omnibus & singulis pro suo immediatè Superiore, & praeterea nullum alium agnoscere deberent, cassando & annullando quodcunque in contrarium practicari vel attentari præsumeretur;

Prout etiam omnia illa, quæcunque à Curia Juliacensi ex post attentari voluerint, cassa & irrita declarata fuissent. Præterea

11mò. Exercuissent Duces Brabantiæ in sæpedicta Ditione Kessenich omnes actus superioritatis territorialis, conscribendo & collectando contributiones, reditus, regales, annonam, & lytra hospitationis pro redimendis militaribus hybernis.

12mò. Quòd equidem controversiæ subortæ fuerint inter Ducem Geldriæ & Dominos de Kessenich circa jurisdictionalia dictæ Ditionis, dum altefatus Dux Geldriæ sustinuit, ipsi in eadem idem jus competere, quod in aliis liberis ibidem adjacentibus Ditionibus sub nomine *terres franches* ipsi competeret; econtra verò ex parte Dominorum de Kessenich omnimoda libertas & independentia allegari voluerit; sed hæ Controversiæ Anno 1694. ad supremum Consilium Brabantiæ remissæ fuerint, ibique adhucdum indecisæ hærerent; cùm verò Comes de Horn quà Gubernator superioris partis Geldriæ inattentâ litis

pendentiâ, ſubditos de Keſſenich citra præjudicium, & ſalvis eorum juribus, conſtringere voluiſſet, ad proviſionalem exſolutionem rationum, aliorúmque onerum, deſuper inter utrosque Anno 1711. taliter conveniſſe, ut Dux Geldriæ in Poſſeſſione manſerit, prædicta jura & regalia exercendi. Et quamvis itidem

13tiò. Appellationes in cauſis civilibus Ditionis Keſſenich communiter Aquisgranum, & illinc ad Cameram Imperialem, aliaque ſuprema Imperii Dicaſteria devoluta fuiſſent, exinde tamen nihil juris ſuperioritatis Romano Imperio vel cuicunque ejus Statui accreviſſe, cùm per Tractatus Auguſtæ Vindelicorum Anno 1549. celebratos Patria Geldrienſis, omnésque ejus Ditiones liberæ, & bona feudalia ab Imperio Romano ſeparata, nec non Circulo Burgundico incorporata fuerint, allegatisque appellationibus Duces Geldriæ conniventer indulſerint, ad exemplum Ditionum Weſſem, Werth, Niederwerth & aliarum; prout Sereniſſimus Hiſpaniarum Rex Philippus omnes ejusmodi appellationes per ſpeciale Edictum de 6tâ. Februarii 1585. caſsâſſet & inhibuiſſet, quæ & multa alia ejusdem naturæ ex ſupra allegata declaratione præpotentium Dominorum Statuum Hollandiæ de 22da. Julii 1711. ſub N. 63tio. nec non hîc ſub finem annexa & ex parte Viduæ de Waes noviſſimè edita replica prolixiùs perlegi poſſunt.

Sed quod hæc omnia & quæcunque alia hujus naturæ meris innitantur ruinoſis fundamentis, erroneis ſuppoſitis, fabuloſis ſuperſtitionibus, & omni prorſus careant juſti æquique ſuffragio, hoc ex prædeductis tam clarè & manifeſtè modò liquet, & conſtat, ut refutatione omnino nullâ indigeat.

Quò magis tamen in propriam Antipatronorum confuſionem reſordeſcant, haud diſplicebit ruinoſam hanc machinam paululum commovere, ſingulaque ejus membra & capita punctatim indagare, & in ſuum nihilum metaphyſicum redigere; ſic quoad

Imum. Gra-

Imum. Graviſſimus eſt ſoloecismus, quòd Dynaſtia & Caſtrum Keſſenich idem ſit, quod Brunshorn, & bina hæc nomina Keſſenich & Bronshorn promiſcuè uſurpentur, ſiquidem conſtat, & ab ipſa rei evidentia certum eſt, quòd Brunshorn ſit particulare prædium, ſitum in ipſa Dynaſtia Keſſenich, & ante annos circiter 50. in uſum Creditorum publicè diſtractum, à quodam Archi-Diacono Leodienſi Libero Barone de Leerodt comparatum, & ab ipſo ſucceſſionis Jure devolutum in Nepotem Comitem de Leerodt haud ita pridem defunctum Cancellarium Regiminis Juliacenſis, ab ejúsque Filiis adhucdum ſeparatim poſſideatur; quòd autem, ubi diverſorum nominum diverſæ ſunt poſſeſſiones & rerum exiſtentiæ, identitatem confingere minimè liceat, id rationi convenit, & jura dictitant; & quò magis hic ſoloecismus reſolvatur, recurrendum erit ad ſupra allegatum celeberrimum Belgarum Annaliſtam Chriſtophorum Butkens fol. mihi 620. atteſtantem, Dynaſtiam Keſſenich & Brunshorn utpote diverſa & ſeparata, jam tum Anno 1467. inter Fratres de Horn fuiſſe diviſa & ſeparatim poſſeſſa, & manifeſtatur per Inſtrumentum Ceſſionis ſub N. 66to. de 12mâ. Maji 1456. claris & poſitivis verbis referens, Eliſabetham Filiam naturalem Comitis de Loen & Heinsbergæ Filio ſuo Joanni de Horn Caſtrum & Dynaſtiam Keſſenich cum omnibus ſuis ap- & dependentiis, *reſervato ſibi ad dies vitæ prædio Brunshorn*, cum ſuis appertinentiis ceſſiſſe. N. 66.

Imò verò ex extractu Regiſtri Curiæ Feudalis Brabantiæ ſub N. 67mo. tanquam primo & fundamentali Antipatronorum fulcro liquet, Brunshorn non eſſe idem, quod Keſſenich, cum ibidem nominatus Hanſúir van Brunshorn non ipſam Dynaſtiam Keſſenich, ſed omnia ſua prædia in illa ſita Duci Brabantiæ in feudum obtulerit; quod documentum quamvis, utpote carens die & Conſule, de jure non relevet, & idcirco ex parte Juliæ non agnoſcatur, nihilominus tamen quà partis adverſæ productum eandem ferit & reprobat, cùm de jure notorio quodlibet Inſtrumentum probet contra producentem. N. 67.

Ut autem enormitas hujus ſoloeciſmi, ejúsq; fundamentum tanquam prima baſis Adverſariorum intentionis radicitus exponatur, & exſtirpetur, notandum eſt, exinde prætenſam hanc nominum promiſcuam uſurpationem, originemque totius controverſiæ emanâſſe, quod, prout ex ſubſequentibus ejusdem Regiſtri patet, conſcriptor allegati Regiſtri annotando prætenſum alterum infeudationis actum à tenore primæ annotationis aberraverit, & loco quod, ut ante ſcribere debuiſſet, omnia bona *in* Keſſenich, ſcripſerit *en* Keſſenich, quod *to en* in Lingua Flandrica ſive Brabantina ſignificat &, cùm itaque pro tempore Dynaſtiæ Keſſenich & inſiti prædii Brunshorn iidem eſſent poſſeſſores, ſic ſubſequentibus temporibus vel ex hocce errore ſcribentis, vel potiùs ſiniſtrâ Regiſtri lectione aut interpretatione evenit, qùod quando Vaſalli inveſtituram ratione prædii Brunshorn in Curia feudali Brabantiæ renovarunt, iidem vel ex hoc errore coacti fuerint, etiam ibidem Dynaſtiam *Keſſenich* tanquam Feudum Brabantinum relevare, aut potiùs, quod ſubſecuti inveſtiturarum annotatores eidem errori inhæſerint, qui error propemodum pro jure conſtituto exantlari voluit, & cùm ille nimis craſſe ex præmiſsâ annotatione appareret, ſic ad eundem palliandum Brabantinis placuit confingere Brunshorn & *Keſſenich* eſſe unum & idem.

Aſt nimis tortè & ineptè, cùm ſubſequens tenor mentionatæ ſecundæ infeudationis, *ſicut illi de Brunshorn ibidem habere ſolebant* &c. ſit explicativus & relativus ad priorem annotationem clarè & poſitivè referentem, bona in *Keſſenich* ſita & non ipſum *Keſſenich*, in Feudum eſſe oblata, & quamvis ſubſequentibus temporibus iſti Brunshorn titulus Dynaſtiæ ſuperaddi voluit, nihilominus tamen omnes Brabantinæ inveſtiturarum annotationes uno calamo referunt, non ipſam Dynaſtiam *Keſſenich*, ſed Brunshorn ſicut in humidis & ſiccis NB. intra Dynaſtiam *Keſſenich* prope Thoren & Nieder-Itteren ſitum eſt, relevatum fuiſſe, prout ex extractibus extenſioribus Regiſtrorum infeudationum Brabantinarum de Annis 1423. 1467. 1515. 1566. & 1618.

1618. per quondam Secretarium ejusdem Curiæ Michiels manu propriâ vidimatis sub N. 68vo. hîc additis pluribus videre licet. N. 68.

Adeo ut Brabantini primo & principali intentionis suæ fulcro feriantur & cadant, & quidquid ex post cum maxima Justitiæ Injuria usurpari voluerit, utpote subtractis tecta columnis corruat, potissimùm verò cum nullum aliud habeant intentionis fundamentum, aut saltem hactenus non ediderint, & per consequens hocce ut-ut illegale Registrum pro prima prætensæ feudalitatis investitura tenendum sit, quæ autem cùm de jure nototio sit immutabilis & regulativa omnium subsequentium, sic de consequentia infallibili sequitur, Brabantinis præter jus Vasallagii in prædicto Brunshorn, ejúsque ap- & dependentiis nullo unquam tempore ne vel minimum juris ampliùs in terra Kessenich competiisse, & omnes ex post usurpatas extensiones esse prorsus nullas, injustas & iniquas, idque tantò magìs, quòd, atteſtantibus sub N. 2. & 3tio. supra allegatis Instrumentis, Miles de Montenaco jam tum ab ante Anno scilicet 1321. Castrum Kessenich unà cum Jurisdictione, Dominio & fidelibus à Gerardo & Wilhelmo Comitibus Juliacensibus in Feudum susceperit, & idcirco neque hic, neque ullus alius in præjudicium Comitum & Ducum Juliacensium quidquam innovare potuerit, insupérque de notorietate hujus Constitutionis juris etiam prætacta feudi oblatio Augusti de Brunshorn, utpote facta in præjudicium Domini directi, Comitis nempe Juliacensis, neutiquam subsistere, minùs verò juri ab ante modo quæsito præjudicare potuerit;

Porrò constat ex sub N. 27mo. supra exhibito judiciali Mandato, quòd ipsum judicium & Possessores terræ de Kessenich expressam distinctionem fecerint inter Dynastiam Kessenich & prædium Brunshorn, specialiter constituendo, quòd illa penes Ducem Juliacensem, hoc autem penes Ducem Brabantiæ relevari deberet.

Ejusmodi ſuppoſititiæ conditionis eſt quoque alterum prætacti Articuli 1mi. membrum, Caſtrum & Dynaſtiam Keſſenich ſitam eſſe in parte ſuperiore Ducatûs Geldriæ, & idcirco præſumendum, illam eſſe Jurisdictionis & Territorii ejusdem Ducatûs, cum præter ſupra demonſtratam rei evidentiam, vigore hîc ſub N. 69no. juncti extractûs ſupplicæ à Procuratore Fiſcali Brabantiæ ultimâ Februarii 1641. Bruxellis exhibitæ, ille ipſe Procurator Generalis judicialiter confeſſus ſit, Dynaſtiam Keſſenich ſitam eſſe intra diſtrictum Comitatûs Looſſenſis & Comitatûs Hornenſis, & hoc ex omnibus cæteris Inſtrumentis, Regiſtris, litteris inveſtituræ & aliis documentis tam clarè liquet, ut hoc in aſſerto itidem pars Adverſa hallucinetur, contra Confeſſionem & factum proprium, nec non rei evidentiam;

Et quod ſi à rei ſitu argumentari liceret ad ejus proprietatem, Jurisdictionem, aut ſuperioritatem territorialem, tum imprimis Brabantini pagorum Weltz, Rhurdorff, & nonnullorum aliorum jacturam facere deberent, quæ notoriè ſita ſunt in meditullio quaſi Ducatûs Juliacenſis. Deinde quoad Dynaſtiam Keſſenich tantò infallibiliùs ſuccumbere deberent, quanto certius eſt, & illa ipſa immutabilis loci exiſtentia demonſtrat, quòd hujus Dynaſtiæ tractus vix aut ne vix quidem Ducatum Geldrienſem attingat, & medius quaſi intra Territorium Civitatis Maſeicenſis & Principatûs Thorenſis, nec non aliorum locorum Comitatûs Looſſenſis circumſeptus hæreat, adquæ loca quòd Ducatûs Brabantiæ ſe ullo unquam tempore extenderit, aut quòd quondam Duces Brabantiæ in iis quidquam juris habuerint, de eo hactenus nullus legitimus titulus lucem aſpexit; econtra verò quòd Comites Juliacenſes & Domini Heinsbergenſes fatum Comitatum Looſſenſem quondam poſſederint, hoc præter alias adhucdum illibatè aſſervatas Juſtificationes ſupra laudatus Belgicorum Annaliſtarum Princeps Butkens circumſtantialiter demonſtrat & atteſtatur, adeo ut hocce in momento diutius ſeſe detinere ſuperfluum ſit, & meritò liceat ad alia tranſire;

Quæ

Quæ autem quoad 2^dum. sit juris ratio, patet ex mox allegatis, ibíque adjuncto proprio partis adversæ protocollo regiſtri Feudalis Curiæ Brabantinæ claris & distinctis verbis referente, prætensum primævum feudalitatis Brabantinæ constructorem Joannem Augustum de Brunshorn venisse ex Episcopatu Trevirensi, & omnia sua bona intra Dynastiam Kessenich jacentia in feudum obtulisse, ejúsque relatum successorem Reinoldum de Schoenvorst illa relevâsse, sicut ipse de Brunshorn ibidem habere solebat, quæ cùm nihil quidquam denotent, quòd fati de Brunshorn vel minimam umbram alicujus possessionis quoad ipsam Dynastiam Kessenich habuerint, ita & nefas est, illam ipsis attribuere; & manifestatur hujus asserti perversitas per ex parte Juliæ supra productum reversale Equitis de Montenac de Anno 1321. sole clarius, dum vigore hujus Instrumenti omni ex parte legalis hic Eques tum temporis Domum Kessenich, unà cum Jurisdictione & Dominio quà Feudum Juliacense à Gerardo Comite Juliacensi relevaverit; & idcirco dubio caret, ipsum illam etiam possediſſe, ac per consequens sanæ rationi repugnat, quòd eodem tempore illa quoque à mentionato Brunshorn utpote extraneo & peregrino advenâ possessa fuerit; præsertim cùm Historia referat, Equitem de Montenac in uxorem habuisse Filiam certi Arnoldi de Kessenich nuncupatam Joannam, & exinde apparenter constet de illius qualificationis & Possessionis titulo; cujusmodi qualificationis ratio de vago nomine Brabantini Authoris Brunshorn hactenus nunquam obumbrata fuit, neque obumbrari poterit Et quamvis

Quoad 3^tium. supra-producta Regiſtra & Protocolla Curiæ feudalis Brabantiæ sub N. 65. & 66^to. denotare velint, possessores Castri & Dynastiæ Kessenich ab Anno 1423. úsque ad annum 1707. ibidem nonnulla relevia obtinuisse, ex eo tamen concludenter non probatur, quòd ipsa Dynastia cum Jurisdictione & Dominio relevata fuerit, sed potiùs de jure præsumendum est, prout omnes illæ seniores investituræ satis clarè denotant, illud

relevatum fuisse, quod primitùs in feudum oblatum fuit, scilicet ipsum prædium Brunshorn cum suis appertinentiis, & non ipsam Dynastiam Kessenich; quemadmodum supra allegatum Mandatum Constitutionis de Anno 1618. nec non Instrumentum cessionis de 12ma. Maji 1456. & multa alia hæc omnia satis clarè & evidenter distinguunt, evincunt & manifestant.

Et quòd si posito, ast minimè concesso casu, ejusmodi quid justificari posset, hoc tamen utpote quid usurpatum tenendum & regulandum foret juxta primævam Constitutionis suæ naturam, & minimè præjudicare posset Ducibus Juliacensibus, cùm ipsi jus modò ab ante quæsitum habuerint; & in hunc usque diem continuâ serie conservaverint, cui per factum tertii aliquod præjudicium inferri jura non permittunt. Quòd verò

Quoad 4tum. supra allegatum Reversale vel potiùs litteræ investituræ Equitis de Montenac irrelevantiæ inculpari velint, eò quod essent Actus prætensè unicus, & nullam mentionem alicujus Jurisdictionis vel præeminentiæ facerent, magis est levitatis cujusdam indicium, quàm verùm, sanum, & ingenuum judicium, dum ab exadverso defectus quidam vult increpari, in cujus justificatione pars increpans magis deficit, quàm pars prætensè inculpata, siquidem ab exadverso nulla alia hactenus fuit allegata præsumptæ feudalitatis continuatio, quàm ab Anno 1423. & ita computando tempus à prima prætensa feudi oblatione integrum sæculum præterlapsum sit, quominus prætensa illa feudalitas recognita, ac per consequens eidem jam dudum præscriptum fuerit, igitúrque juxta ac secundum ratiocinium partis adversæ majori cum fundamento sustineri liceat, ejus allegatum primævæ infeudationis actum utpote neutiquam continuatum, fuisse vi & metu extortum, & idcirco invalidum ac prorsus nullum, maximè verò cum ex supra-deductis, & illo ipso Registro infeudationum Brabantinarum constet, Duces & Comites Juliacenses in Castro & Dynastia Kessenich ejúsque appertinen-

nentiis jus certum modò ab ante quæsiviſſe, & inſpecie omnem jurisdictionem comparâſſe, cui absque facto proprio quod præjudicari non potuerit, ipſa natura & ſana ratio dictitat.

Quòd autem prætenſa increpatio ſit omnino erronea, hoc demonſtrat ſupra exhibitum reverſale ſub N. 3^tio. manifeſtè, dum Otto ab Elsloe aliquot annis ex poſt, Anno ſcilicet 1335. de eodem Keſſenich à Wilhelmo Comite Juliacenſi pariter, ut ex ante Eques de Montenac, cum alta & baſſa Jurisdictione, Dynaſtia & hominibus die jovis poſt Paſcha inveſtitus fuit.

Cujusmodi legalitatis Inſtrumenta cùm ab exadverſo hactenus produci non potuerint, hinc levitati animi ſanè indignandum eſt, quâ prior Actus tanquam unicus & nullius momenti ab Exadverſo inculpari præſumitur, maximè cùm hic actus, ùt ſuperiùs modò notatum, ſit legali Succeſſionis titulo vallatus.

Par autem, imò major eſto confuſio de illo ſuſtinere, qùod de Dynaſtia aut ulla alia præeminentia nihil quidquam referret, dum utrumque reverſale claris & poſitivis verbis altam & baſſam Jurisdictionem nominatim, cum extenſione generali ad quascunque appertinentias, contineat, & ut ante dictum, illud ipſum Regiſtrum Brabantinum ejusdem exercitium à primæva feudi annotatione Ducibus Juliacenſibus attribuat; de præeminentiis & ſuperioritate autem nunc noviter ex parte Brabantiæ prætenſâ ne jota quidem denotet, ſed ſimpliciter de bonis intra Dynaſtiam Keſſenich ſitis loquatur. Sit relatum aliquod quoad ſuì primævum fundamentum, vagum & deſtitutum certo die & conſule, deſumptum ex diverſis & ignotis compilatoribus, de quorum Referente nihil unquam innotuit; compoſitum quoddam omnino diſſonum, dum quotquot ejus prodiêre exemplaria, tot etiam comparuerint diverſitates & contrarietates, atteſtante collatione Regiſtri hîc ſuâ authenticâ prædefuncti Secretarii Curiæ

Feudalis Brabantinæ Michiels exhibiti cum Regiſtro ex parte Waes nunc noviter in replica inferiùs annexa N. 1mò. ſub authentica ejusdem Curiæ Secretarii van den Boom producto ; adeo ut hocce Inſtrumentum ſit omnino ſuſpectum, & illegale, & nullam mereatur fidem, donec per ſuum referens, id eſt per integrales & legales litteras inveſtiturarum debitè juſtificetur & probetur, quod quoad inveſtitos Juliacenſes ex ſuperiùs modò deductis ſatis liquet ; imò verò reſpectu conjugum Arnoldi de Horn & Eliſabethæ Filiæ naturalis Juliacenſis, eorúmque deſcendentium eſt in confeſſo, atteſtantibus exhibitis Waſianis & deſuper emanatâ declaratione præpotentium Dominorum Hollandiæ Statuum de 22da. Julii 1711. ſub N. 63tio. ſuperiùs annexâ ; ejusdem farinæ eſt, quod quò ad 5tum. 6tum. & 7mum. ex ſub N. 4to. ſupra producto Inſtrumento de Anno 1429. vult inferri, ſcilicet Dominus Joannes de Loen Juliæ & Heinsbergæ ceſſiſſet plenariè Domum Keſſenich cum omnibus appertinentiis & Juribus in eadem ſibi competentibus Eliſabethæ Filiæ ſuæ naturali, ejúsque Marito Arnoldo de Horn, & eorum liberis legitimis, ſolo reverſionis caſu reſervato, ac per conſequens fuiſſent feudalitatis jura Comitibus Juliacenſibus usquedum in eadem competentia remiſſa, cùm deſcendentes fati Arnoldi de Horn per ducentos annos & ultra eandem poſſediſſent, & reſervatus caſus reverſionis nunquam extitiſſet, & Joanna Anaſtaſia de Malſen Anno 1639. deſuper in favorem Familiæ de Waes mortis causâ diſpoſuiſſet.

Aſt ſtupet ſana mens & ratio, quòd tantorum virorum judicium non erubeſcat ejusmodi cavillationes & irrelevantias excogitare, & in lucem proferre, ſiquidem imprimis certum eſt, quòd hicce contractus ſit res inter alios acta, quæ de jure notorio tertio nec prodeſt, nec nocet.

Tot tit. Cod. ne res inter alios acta &c.

2dò. Quòd eadem facilitate, quâ ſæpefata Dynaſtia & Caſtrum Keſſenich in prætenſum fideicommiſſum commuta-

mutatum esse sustinetur, etiam de consensu partium, si quæ feudalitas, posito ast minimè concesso casu, remissa fuisset, in Feudum denuo erigi potuerit, de quo in thesi æquè ac hypothesi tantò minus dubitandum, quòd

3tiò. Inhærens feudalitas hocce contractu non obstante per subsecuta tria sæcula continuò recognita, & nullo unquam tempore à possessoribus abnegata fuerit; & quòd si posito

4tò. Purum fideicommissum erectum fuisset, ex eo tamen concludenter non sequitur, quòd feudalitatis conditio fuerit remissa, cùm ad hoc, ut speciali juri derogetur, de jure notorio specialis & explicita requiratur conventio.

Card. Tusch. Lit. R. Concl. 180. N. 1. & seq. ibiq;. Cit. Zabor. Decius. paris. & multi alii.

Præsertim cum non implicet, quominus utraque conditio fideicommissaria & feudalis simul in eodem subjecto stare possit, & deinde juxta compendiosum tum temporis usitatum scribendi modum, reservata reversionis conditio, utpote æquipollens feudalitatis naturæ, fere idem quòd feudum denotet, prout hæc omnia ab ipsismet de Malsen, à quibus illi de Waes sub Testamenti titulo, supra confessato modo, jus suum derivare contendunt, penes Curiam Juliacensem in contradictorio propugnata fuêre, attestante extractu submissionalis confutationis sub N. 70mò. N. 70. idque non sine solidissimo fundamento juris, cùm verba illa, quòd in defectum legitimæ prolis Domus & Dynastia Kessenich ad Dominum concedentem *quà verum suum Dominum hæreditarium* revertere deberent, plus quàm simplex fideicommissum, sed potiùs feudalem subjectionis notam indigitent; & quòd si denique

5tò. Hæc omnia intentioni contrapartis non adversarentur, prout quàm maximè obesse & repugnare de jure certum & evidens est, & in præsenti versaretur in termi-

nis puri & simplicis fideicommissi, quòd autem minimè conceditur, exinde tamen vidua de Waes ejúsque liberi nihil quidquam juris in quæst. Castrum & Dynastiam Kessenich consequi possent, cùm, Actis in Curia Julio-Feudali fusissimè ventilatis testibus, nunquam justificare potuerit, sese aut suos à supra mentionato Arnoldo de Horn, ejúsque Conjuge Elisabethâ descendere, minùs verò illos esse de linea successionis, penes quam ejus Possessio per tria retro sæcula, prout est in confesso, subtitit: & qualificationem suam ex prætenso quodam & hactenus nunquam edito, ac per consequens supposititio Testamento Joannæ Anastasiæ de Malsen desumere, conamen est omni jure destitutum, quandoquidem in jure nihil magìs obvium, quàm quòd super bonis fideicommisso æquè ac feudo obnoxiis per ultimam voluntatem disponere neutiquam permissum sit, minùs verò in hisce & finitimis terris Ducatûs Geldriæ æquè ac Brabantiæ, cum ex speciali provisione juris Statutarii bona Stemmatica nullam patiantur Testamenti factionem, præsertim verò ut in præsenti, ubi ex propria confessione partis extant qualificati hæredes, scilicet cedentes de Ridderen, descendentes ex linea successionis, prout superiùs demonstratum fuit.

Et quamvis nonnulli sint Legum Doctores sustinentes, fideicommissa suum habere limitem, & se non ultra quartam vel septimam successionem extendere.

Arg. Novel. 159.

Horum tamen opinio æquè parum ac cætera suffragari possunt, dum siquæ illi attribuenda esset authoritas, imprimis deficiat, quando, ut in præsenti ex circumstantiis manifestè constat, fideicommissum semper perpetuâ alienationis prohibitione penes Familiam permanere, & eâ extinctâ prædium fideicommisso gravatum ad fideicommittentem, ejúsque posteros revertere debere, prout sustinent illi ipsi primam opinionem amplectentes Legum DD.res.

Peregr. de fideic. Art. 29. N. 2. & seq.
Mynsi. Cent. Obs. Covarr. Lib. 3. Res.

Cap

Cap. 5. N. 4. & seq. Sande Lib. 4. Tit. 5. def. 4. Strick. de succ. ab intest. disc. 7. cap. 3. th. 38. & seq.

Deinde quòd juxta mox allegatos DD.res. in specie verò

Ferrerium & Fontanellam de pact. nupt. Clas. 7. Glos. 1. p. 3. N. 51.

Magna sit differentia inter fideicommissa per dispositionem mortis causâ, & per Contractum inter vivos condita, cùm hæc sint stricti juris ad amussim servanda, & nullam patiantnr limitationem, aut legis conniventiam.

Denique re penitus & juxta apices juris consideratâ, in præsenti propriè non versetur in materia fideicommissi, sed potiùs donationis, quæ sub modo vel conditione, vel ex certo tempore conficitur, & quod illi ejusmodi pactum, ut post mortem Donatarii, ejúsque hæredum res donata ad Donatorem, ejúsve hæredes revertere debeat, validè opponi possit, & perpetuò servandum sit, nullum prorsus est dubium, & probatur per

L. in trad. 48. ff. de pact. & L. 2. C. de donat. quæ sub modo. Manti. de tac. & amb. convent. Tom 2. lib. 13. Tit. 48. in princ. Carpz. p. 3. const. 8. def. 22.

Præsertim autem ùt in præsenti, si in contractibus matrimonialibus, societatibus, confraternitatibus & similibus personarum illustrium alienatio inhibita, & reversio bonorum stipulata fuerit, tum enim perpetuò servanda est, & super istis bonis nunquam ullò modo, neque inter vivos, neque mortis causâ disponi potest, prout de observantia & consuetudine Franciæ docent

Joach. Tilli. de reb. gall. lib. 2. tit 5. Carol. Loysau. Lib. 4. C. 9. N. 18. & seq. Item Tract. des Seigneuries cap. 5. n. 68. & de consuet. Belgiæ *Christin. de Reb. Belg. Vol. 4. dec. 218. n. 28. &*

Strick. de pact. succes. dis. 8. cap. 4. th. 6. & seq. de consuetudine Germaniæ, Italiæ & aliis.

Sed quid tanto opus, ubi constat, & in judicio Kessenich æquè ac sede Regia Aquisgranensi notorium est, illos de Waes hujus fideicommissi perpetuitatem, firmitatem, & indissolubilitatem per aliquot annos in contradictorio propugnâsse, & hocce sub prætextu integra prædia vindicâsse, multisque Creditoribus illusisse, attestante præ cæteris litigio Waes contra Canonicum Schmitz ventilato Anno 1697. & 98. in sede Regia Aquisgranensi:

Interim tamen hìc animadvertere fas est, prætensum hocce Testamentum, de quo autem hactenus nihil apparuit, à mentionata Joanna Anastasia de Malsen conditum fuisse in favorem sui Mariti Walrami de Waes, tempore quo ipsa omni prole destituta fatis concederet, Serenissimus Dux Juliæ Wolffgangus Wilhelmus felicis memoriæ Feudum Kessenich ob sui apparentem aperturam provisionaliter repeteret, & à Georgio de Kessenich quà prætenso proximiore hærede masculo vindicaretur, eique per sententiam adjudicatum esset: manifesto sanè indicio, quòd si fatus ejus Maritus Walramus de Waes, prout nunc falsè sustinetur, fuisset de sanguine Arnoldi de Horn & Elisabethæ Juliacensis, deque illorum Linea Successionis, tum tam futili & in præjudicium legis, Successionis jurium & rei judicatæ excogitato, & idcirco prorsus nullo ac invalido remedio non eguisset; & quòd si Curia quoque Feudalis Brabantiæ suum prætensum jus feudalitatis & superioritatis solidis fundamentis innixum esse novisset, & non fuisset magìs sollicita de præjudicando quàm conservando, tum nunquam tam iniquum ac probrosum dispositionis monstrum admisisset, fovisset, minùs verò confirmâsset,

Ita ut quidquid hac in causa ex parte de Waes ejúsque protectricis Curiæ Brabantinæ contra intentionem Serenissimorum Ducum Juliæ perpetratum & actum fuit, non nisi meras calumnias, usurpationes & attentata referat.

Ast

Aſt ſuppoſitâ & modò ſatìs juſtificatâ, nec non probatâ competentiâ jurisdictionis Juliacenſis, hæc omnia per latam ſententiam de 23tiâ. Maji 1710. in vires rei judicatæ prolapſam ceſſant; & quòd ſi illi de Waes ſeſe inde læſos aut gravatos eſſe autument, executâ mox dictâ ſententiâ, pro volupe ſit coram judice competente reſervatum petitorium inſtituere: potiſſimùm verò, dum pars prætensè appellans appellationem unà cum judicio ad quod, ſcilicet Cæſareum, deſeruerit, & contra Conſtitutiones Imperii & propriam judicis ſuperioris agnitionem ad forenſes provocavit, & ſpretoſpeciali Decreto Conſilii Imperialis Aulici de 22da. Januarii 1712. ab illo tempore acta neque requiſivit & minus produxit, appellatioque in omnem inſperatum eventum, quòd ejusdem devolutio manuteneri poſſet aut vellet, manifeſtè ſit deſerta. Et quod ſi denique hoc in puncto, ſcilicet circa jura partium, ad huc aliquis ſcrupulus latitaret, qui vel ex incuria vel ob materiæ prolixitatem fuiſſet præteritus, aut aliàs haud ſatis enodatus & elucidatus eſſet, deſuper benevolus Lector remittitur ad ea, quæ ab ipſismet partibus typo edita & pro complemento juſtitiæ hìc in fine ſub N. 102. 103. & 104. annexa ſunt.

Hinc transgreditur ad 8vum. 9num. & 10mum. obmotum, & quid de ibidem allegata protectione, nec non mandatis Sereniſſimorum Provinciarum Hiſpano-Belgicarum pro tempore Gubernatorum Alberti & Iſabellæ glorioſæ Recordationis ſentiendum ſit, ſatìs ſuperque liquet ex ſuperiùs modò adductis, præſertim cùm lippis atque tonſoribus notum ſit, in Brabantia nihil communius eſſe, quàm ubi intereſſe Regium prætexitur, conclamationes Procuratoris Fiſcalis excitari, & reſcripta ad nutum quaſi impetrari poſſe, quæ autem eâdem facilitate evaneſcunt, quâ emanant, prout hoc ſuperiùs exhibitæ litteræ relati Domini Comitis van den Berg clarè demonſtrant, cum ejusmodi reſcriptis Clientes ſuos de Malſen minimè tutos crederet, & idcirco penes Curiam Juliacenſem intercedendo illos manuteneri peteret, ita ut quàm longiſſimè abſit, quòd ille memorata reſcripta executioni demandâſſet: meliorem

enim de juribus Duci Juliacensi in Dynastiam Kessenich competentibus habebat notitiam, & quòd Sereniſſimus Dux Wolffgangus Wilhelmus militem præsidiarium in Kessenich tum temporis motu proprio reclamaverit, hoc illa ipsa Anno 1624. in favorem fatæ de Malsen possessorio tenus in Curia Juliacensi lata sententia dictat;

Cujus cognitioni, Jurisdictioni, & Dominio dùm hæc ipsa de Malsen, ejúsque Fratres & Anteceſſores seſe submiserant, & sub Juramenti Religione sæpe repetitis vicibus obstrinxerant, hinc prorsus iniquum & perfidum erat, in præjudicium toties inaugurati Domini Superioris & coram ipso, facto & motu proprio conteſtatæ litis, ad alium Dominum confugere, & protectionem quærere. Sed quid multis? dum constat hæc & quæcunque alia tum temporis ex parte Curiæ Brabantinæ perpetrata fuisse, & esse mera attentata, quæ causam hujus præsentis litis dederunt, & idcirco in nullum jus possessionis degenerare potuisse, præsertim dum, ùt superiùs remonstratum, iis omnibus ex parte Juliæ in continenti contradictum fuit, legatio Juliacensis ad communicandum & deducendum jura Sereniſſimis Dominis Ducibus in Dynastiam Kessenich competentia, contra omne jus & justitiam, expressósque Tractatus Imperatoris Caroli V. ex mera causæ diffidentia audiri noluit, pars interessata Georgius de Kessenich vi & metu in desertionem coactus, & nullâ auditâ parte, nullo servato juris ordine, pro volupe processum fuit, quodque Sereniſſimus Dux Juliacensis pro tempore ob majora alia incommoda propugnare non valuit, ejus Succeſſores ex proprio partis refractariæ recursu & submissione asservârunt & restaurârunt.

Quoad II^mum. non abhorret quidem à pro tempore militis Hiſpanici grassandi libidine, quòd subinde miseros incolas Dynastiæ Kessenich variis exactionibus divexârint, & lugent adhucdum multorum convicinorum Statuum ditiones, nec non in viis publicis prostrata cadavera ejusmodi perpetratas insolentias, deprædationes, & latrocinia, cùm mul-

multorum dispendio, sanguinis effusione, & bonorum jacturâ peracta. Sed quòd hæc injuriâ potiùs, quàm jure facta sint, nemo negabit, & sustinetur ex parte Juliæ firmissimè, quòd ejusmodi quid ante & post hæc perturbata & turbulenta tempora ex parte Curiæ Brabantinæ cum debita causæ cognitione prætensum & absque oppositione exsolutum fuisse, neutiquam doceri possit & si præter omnem opinionem desuper quidquam proferri posset, certum & evidens est, quòd hoc in propriam ejus confusionem redundaret, dum vigore Resolutionis de 10ma. Junii 1659. sub N. 71mo. & adjunctarum consultationum sub N. 72. & 73tio. illa ipsa Curia Brabantiæ de unanimi judicio & voto omnium quasi Dicasteriroum Bruxellensium, quæ in quantum proficua, pro judicialibus confessatis acceptantur, in quantum contra verò tanquam votum in causa propria illegale rejiciuntur, pronuntiavit & declaravit, quòd Ducibus Brabantiæ ibidem nullum jus collectationis, hospitationis, vel exigendorum subsidiorum competat, & incolæ in Kessenich hacce in exemptione semper fuerint, & adhucdum manutenendi sint; quòd econtra autem nomine prædominantis S. R. Imperii Circulus Rhenano-Westphalicus, & Duces Juliacenses ibidem subsidia Turcica, contributiones & similia sæpius conscripserint & collegerint, hoc manifestum reddit ille ipse Scabinatus Kessenichiensis per attestatum judiciale sub N. 74to. N. 71. 72. 73. N. 74.

Et quando ex parte Brabantiæ vel Geldriæ, aut potiùs ibidem hybernantis militis præsidiarii ejusmodi quid exigi voluerit, quod desuper ex parte Juliæ conquestum, & satisfactio demandata fuerit, hoc patet ex superiùs adjunctis sub N. 42. 43. & 44to. confirmatúrque à priori per adjuncta sub N. 75. 76. & 77mo. oportet igitur N. 75. 76. 77.

Quoad 12mum. ut valde sit speciosa illa ibidem memorata litis contestatio, & desuper inita conventio, cùm juxta mox exhibitam declarationem Dynastia Kessenich jam quinquaginta fere annis ab ante à Curia Brabantiæ, ab omnibus collectis, subsidiis, & hospitationis oneribus, cum

cauſæ cognitione libera & exempta renunciata fuerit, & de jure notorio expeditum ait, quòd ſententia ſemel lata omnem ulteriorem impediat litis ingreſſum:

Quod ſi verò ad evitandum hunc obicem aut potiùs confuſionem mentionata lis alio titulo rubricari, & nomen Ducis Brabantiæ in nomen Ducis Geldriæ, qui idem pro tempore fuit, commutari velit, tum hallucinationi ſuperinjungitur iniquitas, ſiquidem de confeſſione propria hujus Reſcripti & exhibiti Procuratoris Fiſcalis Brabantiæ certum eſt, & per multa alia ſcripta, in ſpecie autem ultimò defuncti Illuſtriſſimi Principis Naſſoviæ & Guberna-
N. 78. toris Geldriæ ſub N. 78^vo. evincitur, Dynaſtiam Keſſenich nullatenus eſſe de Jurisdictione Geldriæ, ſed, ut etiam erroneè ſupponitur, Brabantiæ, quòd tamen ex parte Juliæ conſtanter & quàm firmiſſimè diffitetur, ita ut prorſus injuſtum fuerit innocuos & jam tum abſolutos Keſſianos incolas hacce ſub inverſione nominis denuo inquietare. Præſtitiſſet igitur potiùs dicere, quòd hi pauperculi ex parte Brabantiæ in Anno 1694. contra factum & daclarationem propriam ejusdem Curiæ denuo gravati & ita divexati fuerint, ut neceſſitate coacti de contribuendis rationibus vel ſubſidiis militaribus convenire debuerint; an autem hic ſit legitimus acquirendæ & conſervandæ poſſeſſionis modus, vel non potiùs violenta invaſio & oppreſſio, quilibet juſti æquique ſtudioſus noverit diſcernere, & pluribus videre licet ex adjunctis concluſis ſupra laudati Circuli
N. 79. Weſtphalici de annis 1697. 1701. & ſeq. ſub N. 79^no. dum penes conventionem circularem Anno 1701. menſe Julio in Civitate Dortmund habitam de hac oppreſſione graviſſimè conqueſti fuerunt; & nulla deſcriptio Ducatûs Geldriæ vel Brabantiæ exhiberi poterit, in qua Terra Keſſenich comprehendatur vel quotiſetur: quòd verò terra Keſſenich quà Dynaſtia ſubalterna Ducatûs Juliacenſis cum cæteris ad Comitia Juliacenſia antiquitus conſcripta fuerit, & adhuc conſcribatur, hoc manifeſtum reddit Secretarii & ordinarii Expeditoris harum conſcriptionum atteſtatum ſub Sigillo
N. 80. majore Cancellariæ ſub N. 80^mo.

Sed

Sed quid denique de prætenſo illo Brabantico ſupremo Dominio & Jurisdictione in Keſſenich ſentiendum ſit, præter multa alia ſuperiùs modò deducta clariſſimè demonſtrat illa ipſa partis adverſæ in ultimo objectionum capitulo recenſita confeſſio, quòd ſcilicet in cauſis Keſſianis civilibus appellationes ad ſedem Regiam Scabinalem Imperialis Civitatis Aquenſis, & illinc ad ſuprema Imperii Dicaſteria devolvantur, & quod hæ ſemper illuc devolutæ ſint, hoc inſuper comprobatur per atteſtatum judiciale ipſiusmet Scabinatûs Keſſenichenſis ſub N. 81. & adjunctum Regiſtrum N. 81.
Scabinatûs Aquisgranenſis ſub N. 82. ibidem illis in cauſis N. 82.
latarum ſententiarum ab Anno 1503. usque ad annum 1713. nec non per proprium factum partis, ſcilicet interpoſitas appellationes à ſententiis Anno 1639. & Reſpectivè 1710. in Curia Juliacenſi latis ad ſuprema Imperii Dicaſtria ac utroque judicio emanatis proceſſibus, ſed ſalvo honore Judicantium incompetentibus & Reſpectivè deſertis.

Cùm itaque laudabilis Curia Brabantiæ in terra Keſſenich nullum habeat jus collectationis, conſcriptionis, & hoſpitationis, nullóque ibidem gaudeat notionis & jurisdictionis jure, ac per conſequens omni prorſus alicujus ſupremi Dominii notâ deſtituta ſit, hinc de neceſſitate juris & de jure infallibiliter ſequitur, prætenſum illud ſupremum Dominium eſſe purum ens rationis, nullam habens realem exiſtentiam.

Nec obſtat, quòd per tractatus Auguſtanos de Anno 1549. fuerit conſtitutus Circulus Burgundicus, & per illum Ducatus Brabantiæ & Geldriæ cum ſuis ap- & dependentiis ab Imperio avulſus, & quòd Duces Brabantiæ allegatis appellationibus prætenſè indulſiſſent, ſiquidem quoad I^mum. verſatur in falſo ſuppoſito, Ditionem & terram Keſſenich ullo unquam tempore fuiſſe appertinens Ducatûs Brabantiæ vel Geldriæ, & deinde ſi quo reſpectu illuc pertrahi poſſet, per hoc tamen mediantibus mentionatis tractatibus nullo prorſus ſub prætextu eximenda venit à jurisdictione & Superioritate Ducum Juliacenſium, cùm iis in

tractatibus non de separatione Provinciarum Hispano-Belgicarum à Romano Imperio, sed potiùs de earum firmiore vinculatione, incorporatione & quotisatione in subsidiis communibus S. R. Imperii tractatum, ibique Art. 21. specialiter conventum sit, quod quatenus illarum Provinciarum aliqua à feudo S. R. Imperii dependeat & relevetur, imposterum debitè recognosci & relevari debeat; dum itaque constat & superius demonstratum fuit, Terram & Ditionem Kessenich esse de Imperio Romano, & ut Feudum Juliacense à duobus retro sæculis modò recognitam, & relevatam fuisse, omnémque superiorem cognitionem in civilibus ad Regium scabinatum Aquensem, in feudalibus verò ad Curiam Julio-Feudalem transiisse & spectâsse, hinc de Judicio ipsiusmet ab exadverso laudati tractatus Augustani Sereniſſimus Dux Juliacensis in sua de omni jure fundatâ immemoriali superioritatis & Jurisdictionis possessione manutenendus venit;

Potissimùm verò dum ejus ex parte Juliæ continuatum exercitium per plurimos actus tam in præsenti, quàm priori & antepriori sæculo exercitos, propriam Ducum Brabantiæ eorúmque Curiæ Officialium nec non etiam propriam partium tam judicialem, quàm extrajudicialem confessionem & declarationem ulteriùs adhuc sole meridiano clariùs comprobari potest, quòd facilè exequendum, nisi tot modò deducta essent, ut solido cum fundamento ulterioribus supersedere fas sit, & verendum, nimiam prolixitatem rei nauseam procreare:

Quò magìs tamen præsens hocce Justitiæ Juliacensis monumentum consolidetur & elevetur, nonnulla ex superabundanti & coronidis loco hìc superaddere licebit, & quidem quoad

Imum. Scilicet continuatum exercitium Jurisdictionis, patet præter sæpe allegatum Regiſtrum Curiæ Brabantiæ, ex supplica sub N. 83tio. ejque inscripto præsentato de 20ma. Maji 1548. quòd Arnoldus ab Impel tutorio nomine Jacobi à Kes-

N. 83.

Kessenich, quendam Walramum Momme ratione cujusdam prædii appertinentis ad Feudum Kessenich in Curiâ Juliacensi Dusseldorpii convenerit, & petiêrit eundem ad editionem tituli prætensæ ejus possessionis constringere, illáque eidem injuncta fuerit. Pro Imo.

Pro 2do. Ex adjuncto extractu Actorum sub N. 84to. vigore cujus Anno 1569. inter quendam Joannem Goltstein, & Consortes ex una, & Frantzen, & Consortes ex altera parte controversia ratione cujusdam Mosæ Fluvio interjacentis Insulæ dictæ Dulckenswerth, ejúsque alluvionis suborta, illáque quà attingens appertinentiam Feudi Kessenich in ejusdem judicium Feudale introducta, & ventilata, & ex parte Actorum Goltstein à quodam decreto ibidem 8vâ. Martii 1570. lato ad judicium Aulicum Juliacense appellatum, nec non 3tiâ. Aprilis ejusdem anni plenarii Processus Decreti, causa verò per Sententiam 25tâ. Aprilis 1571. ibidem latam ad judicium à quo certis sub conditionibus adimplendis remissa, ex post autem per appellationem 30mâ. Junii Anno 1618. ulteriùs interpositam, denuo ad memoratum Judicium Aulicum devoluta, ibique usque ad Annum 1621. agitata, per injurias temporum autem inrerrupta, Anno verò 1647. & Anno 1695. iteratis vicibus ad instantiam partium reassumpta, & tandem 7mâ. Septembris Anno 1700. in favorem hæredum Goltstein condictorum Heisters judicialiter & cum plena causæ cognitione decisa, nec non executioni demandata fuit, idque sciente & patiente totâ Curiâ Geldriensi; cùm attestantibus mandatis cautionis & constitutionis sub N. 85. 86. & 87mo. coram ipsa ad hanc causam cum expressa mentione, eam Dusseldorpii in Curia Juliacensi ventilari, constitutum fuerit, quòd fata Curia Geldriensis nunquam permisisset, minùs verò desuper instrumenta publica confici & extradi feciisset, si cognitio causarum Kessianarum vel sibi, vel sibi junctæ Curiæ Brabantiæ competeret; ast equidem verum est, cùm in Anno 1703. Curia Geldriensis in Civitate Ruremundensi quà proximè vicina, non ex obligatione, sed majoris securitatis & manutenentiæ causâ, requi-

N. 84.

N. 85. 86. 87.

sita esset ad assistendum, illa contra omnia jura, conventiones, & tractatus præsumpserit sese huic executioni opponere, sub fucato prætextu vel quasi incompetentiæ, arrogatique dominii Superioris in dictam insulam, sed quantâ Juris & Justitiæ injuriâ.

Hoc satis supérque denotat mox relatus, & per sæculum, & ultra ventilatus processus, nec non multò clariùs eluceścit ex relatione proprii opponentis Viduæ de Waes Mariti præpotentibus Hollandiæ Statibus, quà pro tempore
N. 88. possessoribus Ducatûs Geldriæ sub N. 88vo. exhibita, & ex parte de Waes in inferiùs annexa replica agnita tanquam irrevocabili ipsiusmet partis confessato. Et pro

3tio. probatur per duo hîc adjuncta attestata judicialia ipsiusmet judicii in Kessenich de 5ta. Aprilis 1620., & respe-
N. 89. ctivè 30mâ. Augusti 1710. sub N. 89. & 90mo. clarè & di-
& 90. stinctè referentia, in causis Feudo-Kessianis appellationem semper fundatam fuisse, & adhucdum esse ad Curiam Juliacensem, stabilitúrque insuper adhuc

4to. per ulteriores extractus actorum in causis Kessianis appellantis Eick contra appellatum von Uffels, nec non appellantis Laurentii Bux contra Leonardum Sonneman quà Curatorem Elisabethæ Heidenreicks, Item Vincentii Flegels contra Mariam Vinckens, Vincentii Schrivers contra Catharinam Schrivers, & Præfecti de Tserclaes contra Scabinum Schmitz ejúsque hæredes ab Anno 1639. usque 1645. & Respectivè 1619. usque 1622. nec non ab Anno
N. 91. 1687. usque 1698. ventilatorum sub N. 91. 92. 93. 94.
92. 93. 95. & 96. quæ de hac speciali ratione hîc producuntur,
94. 95. quòd sint causæ iis temporibus judicialiter ventilatæ &
& 96. per appellationem in Curiam Juliacensem introductæ, quibus juribus Juliacensibus in Dynastia Kessenich primum invasiones Hispanicæ visæ sunt insidiari, nec non possessio Juliacensis interturbari, & tamen, omnibus iis motibus inattentis, Jurisdictio Juliacensis in mox Dicta Dynastia Kessenich usque in hæc tempora exercendo illibatè fuit continuata, quorum exempla quamplurima ad-

adhuc allegari possent, nisi nimia prolixitas displiceret; quandoquidem constat, Dominos Barones de Bocholtz possessores de Kessenich, ratione contra se intentatæ consolidationis, illos de Waes in Curia Juliacensi convenisse, Scabinum in Kessenich nominatum Schmitz ab Adriano Wilhelmo de Bochfort per appellationem ad eandem provocatum fuisse, ipsosque possessores Feudi de Malsen, Waes, & Kessenich in Curia Dusseldorpiensi quamplurimis annis litigâsse, illámque pro judicio competente & verbis & facto agnovisse, & in hujus agnitionem, submissionem, & paritionem se se juramento obstrinxisse, antequam ullo unquam tempore vel minimum vestigium alicujus recursûs, vel ad Curiam Brabantinam, vel etiam ad sibi proximam Curiam Geldriensem apparuerit aut patuerit.

Quoad 2dum. autem Jurisdictionem Juliacensem in Kes- N. 97.
senich ab ipsis Ducibus Brabantiæ ejúsque Consiliariis agnitam fuisse, hoc præterea 1mò. evincit hîc sub N. 97mo. annexa epistola, quâ Augustissimus Imperator & Dux Brabantiæ & Geldriæ Carolus V. glorioſissimæ memoriæ, Illustrissimo Duci Juliacensi Joanni Wilhelmo quendam Conradum ab Olpenhoven civem & incolam Civitatis Sylvæ-Ducis pro Justitia recommendatum voluit, dum ille, ut ex adjuncta supplica sub N. 98vo. patet, in Curia Juliacensi hæ- N. 98.
redes quondam Arnoldi Collart de Wilde convenerat, contenderátque sibi potiora successionis jura in Kessenich competere quàm alteri.

Quæ recommendatio omnino prorsus superflua, imò nunquam concessa fuisset, si Augustissimus Monarcha quà Dux Brabantiæ vel Geldriæ in Terra Kessenich quidquam superioritatis Territorialis aut Jurisdictionis consecutus fuisset, præsertim dum pro tempore motus Juliacenses componendi gratiâ in Brabantia medios inter suos Brabantiæ & Geldriæ Ministros commorabatur, qui æquè ac nunc clienti suo meliora & longè proximiora Protectionis & Justitiæ remedia suggessissent & subministrâssent, minùs verò

misissent, quòd recommendando subditum propriis juribus præjudicâsset & derogâsset, si quæ habuisset notionis jura, & illi de meliori non informati fuissent, Ducem Juliacensem iis in causis judicem esse competentem.

Quòd autem Duces Brabantiæ æquè ac Geldriæ nullo unquam tempore vel minimam umbram alicujus Juris dicendi, conscribendarum contributionum, rationum, vel subsidiorum militarium aut hospitationis in Terra Kessenich habuerint aut comparârint, sed jam dicta Terra sit immediatè de Imperio, illúdque in causis civilibus per appellationem ad sedem Aquisgranensem, in causis verò feudalibus per appellationem vel etiam in prima instantia, si causa intentata ipsum Dominum vel possessorem terræ concernat, Curiam Juliacensem pro suo Superiore recognoscat, hoc ulteriùs manifestum facit supra allegata declaratio illustrissimi Marchionis de Caracena quà Gubernatoris Provinciarum Hispano-Belgicarum de Anno 1659. sub N. 71. junctáque relatio Regiminis Brabantiæ sub N. 72. & 73. præprimis verò Secretarii & Registratoris Curiæ Feudalis Brabantiæ nuncupati Michiels de 17ma. Novembris 1683.
N. 99. sub N. 99no. quà viri consummatissimi in rebus feudalibus Curiæ Brabantiæ, nec non quondam gravissimi Brabantiæ Juris Consulti & Consiliarii dicti Ricquevort conscriptæ litteræ consultatoriæ ad Baronem de Vogelsanck de 30ma.
N. 100. Novembris 1683. sub N. 100mo.

Quoad propriam denique ipsiusmet partis agnitionem, brevitatis amore fit relatio ad ipsa in Curia Juliacensi per integrum sæculum ventilata acta notorium constituentia, quòd semper & omni tempore absque ulla vel minima contradictione sese submiserit, libellando, excipiendo, re-duplicando, submittendo & denique appellando eandem pro foro & judice competente agnoverit, prout hæc omnia ex prædeductis satìs supérque liquent, & consistunt in facto notorio ac irrefragabili, nec non corroborantur per extractum exhibitorum in excelso Con-
N. 101. silio Imperiali Aulico hîc annexum sub N. 101mo.

Si

Si itaque ex tot & tantis non verborum lenociniis, ſed rationibus, teſtibus & tabulis omni exceptione majoribus evidenter conſtet, ſæpedictam Terram Keſſenich eſſe de Imperio Romano, verum Feudum Juliacenſe, & à Ducibus Juliacenſibus per tria & ultra retro ſæcula continuâ ſerie relevata, ipſiſque in illam omnem ſuperioritatem & jurisdictionem competere, nec non ab iis tempore hominum memoriam longiſſimè excedente exercitam fuiſſe, ac per conſequens Curiam Juliacenſem jure optimo maximo competenter & legaliter in cauſa Viduam Waes, ejúsque prolium Tutorem & Curatorem inter, & illos de Ridderen, eorúmque Ceſſionarium Baronem de Metternich judicâſſe, & de jure pronunciâſſe: econtra verò Duces Brabantiæ æquè ac Geldriæ præter jus feudalitatis in prædio Brunshorn, quod tamen utpote quid facti in præjudicium tertii ſcilicet Ducis Juliacenſis, cui jus modò ab ante in tota Dynaſtia Keſſenich, ac per conſequens etiam in prædio hocce annexo quæſitum erat, de jure ſubſiſtere nequit, vel ad minimum majoris indaginis eſt, nihil quidquam ulteriùs conſecutos eſſe, neque ullum actum legalem alicujus poſſeſſionis vel Jurisdictionis exercuiſſe.

Hinc aperta & manifeſta Juſtitia, omnisque ſana mens & ratio quemlibet juſti æquique æſtimatorem vincit & ſuperat, omnesque S. R. Imperii ſtatus pro ſua de conſervandis tuendisque finibus Imperii obligatione ſtringit, cogit, & neceſſitat, Sereniſſimi Electoris Palatini quà Ducis Juliacenſis æquiſſimis & fundatiſſimis Juribus ſuffragari & adſtipulari, illaque omni, quo par eſt, conatu tueri & protegere, unanimi voto & calamo ſentiendo & cognoſcendo, ſæpefatam ſuam Serenitatem Electoralem Palatinam quà Ducem Juliacenſem eſſe verum & legitimum Dominum directum Dynaſtiæ & Dominii de Keſſenich cum omnibus ſuis ap- & dependentiis, utpote veri Feudi Heinsbergenſis, illámque in poſſeſſione ejusdem Jurisdictionis & Superioritatis Territorialis hactenus & ab immemoriali tempore uſitatam, manutenendam, ac per conſequens ſententiam poſſeſſorialem in Curia Juliacenſi 23tiâ. Maji 1710. cum

na causæ cognitione competenter latam executioni demandandam, illis de Waes verò petitorium, loco congruo, si velint, instituendum, reservandum esse.

Et quamvis Augustissimus noster S. R. Imperii Monarcha quà Dux Brabantiæ & Geldriæ hac in causa interessatus dicatur, nihilominus tamen glorioſissimâ illâ præfulget animi magnitudine, constantiâ, & excellentiâ, quòd de inferenda finitimis non cogitet injuria, aut in rem suam aliena convertere, vel aliorum demum invadere velit jura, sed potiùs unam præter cæteras virtutes colat Justitiam, & huic omnis utilitatis incrementum, Coronam, Sceptrumque submittat, ita ut Serenissimus Elector Palatinus in sua Sacra Cæsarea Majestate omnem spem & fiduciam præcipuè collocet & habeat, illámque humillimè & instantissimè imploret, Sacram suam Cæsaream Majestatem solidum hocce Justitiæ Juliacensis monumentum, pro illibata supremi muneris sui Religione, eâ propensionis æquitate amplexuram esse, quam demonstratum longissimum jurisdictionis possessorium, authoritas rei judicatæ, & ita illa ipsa divina postulat Justitia, omnis affectata de propaganda ditione aversatur susurratio, incomparabilis integritatis suæ magnitudo hactenus comprobavit undique, nec non glorioſiùs recuperata consolidata que Orientis & Occidentis Imperii Monarchia in omnem recommendabit æternitatem.